F. VINCENTII MARIAE
DINELLII
CATHEDRATICI CASANATENSIS
ORDINIS PRAEDICATORVM

A D

CAROLUM NOCETIUM
SOCIETATIS JESV THEOLOGVM

DE DANIELIS CONCINAE
In indicandis, deſcribendiſque Caſuiſtarum locis ſumma fide, ac diligentia

EPISTOLAE.

ROMAE, MDCCLVI.
Apud Haeredes Jo: Laurentii Barbiellini.

SVPERIORVM FACVLTATE.

Digitized by Google

NOS FR. VINCENTIUS MARIA FERRETTI

Sac. Theol. Profeſſor, ac totius Ordinis FF. Praed. humilis Mag. Vicarius & Procurat. Generalis, & Servus.

HArum ſerie, Noſtrique auctoritate Officii, quantum in nobis eſt, facultatem concedimus A. R. P. Magiſtro Fr. Vincentio Mariae Dinellio Provinciae Noſtrae Romanae, Cathedratico Caſanatenſi typis edendi opus ab ipſo elaboratum, cui titulus: *ad Carolum Nocetium Societatis Jeſu Theologum de Danielis Concinae in indicandis, deſcribendiſque Caſuiſtarum locis ſumma fide, ac diligentia Epiſtolae*: dummodo a duobus RR. PP. Noſtri Ordinis Sacrae Theologiae Profeſſoribus praelo dignum judicetur, & ſerventur cetera de jure ſervanda. In nomine Patris &c. In quorum &c. Datum Romae in Conventu Noſtro S. M. S. M. die 19. menſis Junii 1756.

Fr. Vincentius Maria Ferretti
Vicarius, & Procurat. Generalis Ord.

Reg. pag. 23.

Fr. Thomas Ignatius Maria Natta Mag. & Socius.

AP-

APPROBATIONES.

JUſſu Reverendiſſimi Patris Fr. Vincentii Mariae Ferretti totius Ordinis Praedicatorum Vicarii Generalis legimus Librum, cui titulus eſt: *Fr. Vincentii Mariae Dinellii Cathedratici Caſanatenſis Ordinis Praedicatorum ad Carolum Nocetium Societatis Jeſu Theologum de Danielis Concinae in indicandis, deſcribendiſque Caſuiſtarum locis ſumma fide, ac diligentia Epiſtolae.* In quo cum nihil offenderimus, quod fidei Catholicae, boniſque moribus adverſetur, dignum judicavimus, qui typis ederetur. In quorum fidem &c.

Datum Romae in Aedibus S. Mariae ſupra Minervam die 19. Junii 1756.

Fr. Angelus Spannocchi Ord. Praed. Magiſter, & Prior Minervitanus.

Fr. Alexander de Tretis Ord. Praed. Sac. Theol. Lector.

DE mandato Reverendiſs. Patris Joſephi Auguſtini Orſi Sacri Apoſtolici Palatii Magiſtri attente legi librum, cui titulus: *Fratris Vincentii Dinellii Cathedratici Caſanatenſis Ordinis Praed. ad Carolum Nocetium Societatis Jeſu Theologum de Danielis Concinae in indicandis, deſcribendiſque Caſuiſtarum locis ſumma fide, ac diligentia Epiſtolae*; cumque nihil offenderim, quod fidei, aut bonis moribus contradiceret,

 quan-

quantum mea intereſt, typis mandari poſſe exiſtimo.

Datum Romae die 19. Junii 1756.

D. Maurus Aloyſius Belcredi Congr. Caſinenſis, Sac. Theolog. Lector.

J. M. J.

Juſſu Reverendiſs. P. Joſephi Auguſtini Orſi Ord. Praed. S. Palatii Apoſtolici Magiſtri, attente legi librum, cui titulus: *Fr. Vincentii Mariae Dinellii Cathedratici Caſanatenſis Ordinis Praed. ad Carolum Nocetium Societat. Jeſu Theologum de Danielis Concinae in indicandis, deſcribendiſque Caſuiſtarum locis ſumma fide, ac diligentia Epiſtolae*; in quo nihil reperi, quod cum fide, boniſque moribus repugnet, atque adeo edi poſſe exiſtimo.

Ex Collegio S. Mariae de Victoria die 19. Junii 1756.

Fr. Eduardus a S. Xaver. Carmel. Excalc. olim Sac. Theologiae Praelect. nunc vero ſupremae Generalis Inquiſitionis Qualificator.

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Sac. Pal. Apoſtol. Mag.

F. M. de Rubeis Patr. Conſt. Viceſg.

IMPRIMATUR,

Fr. Vincentius Elena Reverendiſſimi Patris Mag. Sac. Pal. Apoſt. Socius.

EPI-

EPISTOLAE IV.

ARGUMENTUM.

LXXI.

D*Inellius Nocetii reliquas in Concinam criminationes una ſe ait confutare inſtituiſſe, atque ob hanc cauſam tardiorem ſe ad reſpondendum fuiſſe, quam antea conſuerat:* LXXII. *Refellit etiam eos, qui ſe, defendendi Concinae difficultate, aliquandiu diſtuliſſe jactarent.* LXXIII. *Denique Nocetium, qui conviciis Concinam proſciderit, injuria, & magno ſui ipſius periculo proſcidiſſe oſtendit: eumque reprehendit, quod cum certa ſe, & manifeſta Concinae errata perſequuturum recepiſset, promiſſis non ſteterit: quod de iis ſepius adver-*

ſa-

Digitized by Google

ſarium obtundat, de quibus ſe multo ante purgaſſet: quod leviſſimis de cauſſis graviſſimam in Concinam impoſturae *criminis invidiam conferre non dubitet.* LXXIV. *Itaque Nocetii accuſationes perſequens, quod is ſcripſerat Concinam, per* impoſturam *Fagundeſio licentiorem quandam de materiae in librorum haereticorum lectione parvitate tribuiſſe ſententiam; id Nocetium neque vere, neque recte ſcripſiſse demonſtrat Dinellius.* LXXV. *De altera ejuſdem Fagundeſii opinatione diſſerit, quae eſt de adorandi Dei obligatione.* LXXVI. *Pergit deinde ad Filliuccium: neque huic, aut Laymano Concinam impoſuiſse demonſtrat, cum eorum de officio recitando recenſeret ſententiam: imponere autem Nocetium Concinae, Filliuccii, & Laymani locos non integre deſcribentem.* LXXVII. *Rurſus de Filliuccio reſpondet. Hunc docet recte ab Concina, ut etiam a Leandro in iis eſse numeratum, qui putarent, jejunii ſervandi cauſa, nemini umquam eſse neceſse prandium in horam cenae differre: contra, Cajetanum, quem paulo liberius in ea controverſia ſenſiſse Nocetius dixerat, defendit.* LXXVIII. *Eundem porro Filliuccium recte ab Concina ſuiſse laudatum in ea quaeſtione, quae eſt de ſolvendo, nec ne jejunio, cauſa operis laborioſi non neceſſarii: perperam autem in ea ipſa quaeſtione ab Filliuccio, & Leandro Sylveſtrum appellari.* LXXIX. *Quartum de Filliuccio agit, nihilque ei Concinam falſo tribuiſse efficit, ubi eum ſcripſit, non recte de decimarum ſolutione ſenſiſse.* LXXX. *Quod reſtat denique de eodem Filliuccio, quod is de muti hominis confeſſione docuerit, hoc ita Dinellius expedit, ut Nocetium* Summularum *praeſidio abuſum, occaſionem calumniandi quaeſiſse oſten-*

oſtendat ; eamdemque Valentiae , ac Filliuccii cauſsam eſse demonſtrat . LXXXI. *Jam vero ad Francolinum deſcendit , quem a* pluribus impoſturis *Coneinae,dixerat Nocatius ſe velle defendere . Haec autem agitur controverſia : quemadmodum confeſsario cum illis agendum ſit, qui diuturna cum ſint peccandi conſuetudine implicati , tamen certum ſibi eſse teſtantur , deinceps peccato abſtinere .* LXXXII. *Principio Dinellius Concinae , & Francolini locos diligenter inprimis , accurateque deſcribit.* LXXXIII. *Quaeritur deinde de Francolino , qui in Genettum Concilii Tridentini, Sanctiſſimorumque Eccleſiae Patrum doctrinas tuentem invectus fuerit ; iiſque auctoritatibus neglectis , ex una vocula , invidiam in adverſarium quaeſierit.* LXXXIV. *Exponit ,quae porro ſit Francolini , quamque laxa , in ea quaeſtione, ſententia . Nam Francolinum quidem, alio detorſiſse S. Thomae doctrinam , quem confidenter in patrocinium vocarit ſententiae ſuae .* LXXXV. *Jam ordine Genetti quoque ſententiam expendere inſtituit , primumque Francolinum , & Nocetium refellit , qui ut Genettum accuſarent , alterum rurſus S. Thomae locum peſſime perverterunt .* LXXXVI. *Pergit duo , quae ex Genetti doctrina concluſit Francolinus , vera demonſtrare : nam reliqua , quae falſa ſunt atque abſona , ea perperam Francolinum ex Genetti doctrina concludere fuiſse conatum .* LXXXVII. *Quod ex Genetti ſententia* tertio *ſequi Francolinus contendit , quamquam mala fide Genetti ſententias detorqueat , abſurdum non eſse , imo vero id ex Concilii Tridentini doctrina ad mentem Eccleſiae Patrum explicata conſequens eſse demonſtrat .* LXXXVIII. *Cetera falſa eſse , ſed ex doctrina*

Ge-

Genetti minime fluere; Francolinum porro perpetuis cavillationibus, deterrimam ſententiam confirmare conari. LXXXIX. *Poſtremo recte ab Genetto expoſitum eſse Pauli Apoſtoli teſtimonium concludit: polliceturque ſe, ſi uſuvenerit, quam abſurda ſit Francolini, de abſolutione poenitentibus impartienda, doctrina, fuſius demonſtraturum.*

FR.

FR. VINCENTIUS MARIA
DINELLIUS
ORDINIS PRAEDICATORUM
CAROLO NOCETIO
SOCIETATIS JESU
S. P. D.

LXXI.

ET res ipſa monebat, & amicis placere intelligebam, ut, cum, tribus ad te ſcriptis epiſtolis, ex quibus ſpecimen capi poſset Libelli tui, Concinae cauſsam viris ſapientibus egregie probaſſem, nec jam quiſquam, tuis cognitis erratis, dubitaret, quin is per ſummam injuriam eſſet accuſatus, nihil amplius ad te mitterem litterarum, priuſquam libellum tuum plane confutaſ-

Digitized by Google

ſem, abſolviſſemque inchoatam Theologiae Chriſtianae defenſionem. Id eo pertinebat, ut ſub uno adſpectu tua reliqua errata, & ſummam Concinae diligentiam in indicandis, deſcribendiſque Caſuiſtarum locis Lectoribus exponerem; nihil ut iis deinceps expectandum eſſet, ex quo plane perſpiceretur, neque opus ullum plenius falſarum criminationum, quodque veritas, ſi ipſa per ſe loqueretur, improbaret magis, quam *veritatem vindicatam*, prodiiſſe umquam; neque reperiri facile quemquam poſſe, qui tanta fide, diligentiaque ſcribat de doctrina morum, quanta in deſcribendis Caſniſtarum locis, atque in regulis tradendis, conſtituendiſque uſum fuiſſe liqueret Concinam.

LXXII. Scio fuiſſe pleroſque, qui, quod reliquam libelli tui confutationem diutius expectari viderent, in vulgus ſpargerent, multa me in ceteris illius capitibus offendiſſe, quae & graviter, & vere Concinæ obiiceres, ex quibus me expedire non poſſem; conſiliumque de ceteris Caſuiſtis ſcribendi omnino abieciſſe. Sed cum primis ad te litteris oſtendiſſem, permulta eſſe, quare etiam

ſine

ſine ulla libelli tui confutatione intelligi poſſet, nihil in eo reperiri dignum certo, ac diligente accuſatore; idque jam tot errata, in quae te incidiſſe patefeceram, aperte confirmarent, nihil erat cauſsae, cur me moverent vulgi ſermones, aut genus illud otioſorum hominum, qui cum praeter vocem, & loquacitatem nihil habeant, quo ſententias, quas probant, & eorum, quibus favent, afflictam cauſſam ſuſtineant, quidvis fingere, & comminiſci ſolent, & id, quod cupiunt, pro facto narrare non dubitant. At nunc intelligent, magno in errore ſe eſſe verſatos. Nam tantum abfuit, ut multa mihi occurrerint, quae mihi negotium exhiberent, ut contra ſex, ſummum ſeptem exceptis locis, qui ſunt de rebus leviſſimis, cetera omnia nullo negotio diluerim, planeque ad veritatem in tuis erratis numeranda eſſe demonſtraverim. Neque eſt, cur dubites, vera praedicare me, tamque pauca, ac levia eſſe, quam dixi, Concinae errata: praeter enim quam quod id tute legendo cognoſces; quae res obſtare poterat, quominus omnia, quae vere Concinae opponeres, ut initio me tibi facturum receperam, ſine tergi-

verſatione concederem? Quod ſi me non putas adduci potuiſſe honeſtate, verique ſtudio, ut meam fidem liberarem, ea re ſane credere potes, adductum eſſe, quod nihil utilius Concinae cauſſae eſſe cenſerem, quam eſſe aliquot ejus errata, quae confiteri poſſem, ne, ſi nulla omnino fuiſſent, plerique, quibus incredibile videretur, ſcriptorem multorum voluminum nunquam erraſſe, minus mihi de ceteris ſcribenti libenter fidem haberent, putarentque, me omnia, cujuſque modi eſſent, defendere maluiſse, quam Concinam aliquando errasse, confiteri. Huc accedebat, quod, etiamſi ſex, aut ſeptem, vel etiam paulo plura confitenda eſsent Concinae errata, nullum viderem ſupereſse periculum, ne pergeres eum impoſturae accuſare. Et ſane mirum eſſet, ſi, licet longe plura, quam Concina, peccaris, & adeo plura, ut hujus omnia errata, cum tuorum parva parte aequari, conferrique non poſſint, pergeres eum nihilo ſecius contumeliis afficere, neque intelligeres, ei tandem concedi oportere facultatem accuſandi, qui nullo ſuo peccato impeditur, quominus alterius peccata demonſtrare poſſit.

LXXIII.

LXXIII. Quod ſi tu aliud forte cogitas, neque cenſes tibi ab genere iſto criminoſae orationis eſse deſiſtendum, illud etiam cogites velim, id te ſine magno periculo tuo non eſse facturum. Non quod ego, ſi tibi reſpondendum erit, imitari te velim, & palam eſse dicere impoſtorem, calumniatorem, injuſtum Criminatorem, & ſi quid aliud ejuſmodi in Concinam conferendum putaſti; nihil enim umquam a me fiet cum ulla tua contumelia; ſed quod verear, ne, ſi pergis Concinam iſto modo tractare, exiſtat tandem aliquis, qui ſtomachans, contra iſtam agendi rationem palam eſse agendum arbitretur, & eorum te criminum aperte condemnet, quorum per ſummam injuriam accuſas Concinam. Noſti enim neque obſcuram, neque paucis notam eſse, ſed ad multos pertinere hanc noſtram controverſiam, & nonnullum de tuo libello, deque meis Epiſtolis publice judicium fieri; quibus autem perſuaſum ſit, jacere te cum tua *veritate vindicata*, & Concinae nullum crimen haerere, permultos mihi crede, & in primis doctos invenies. Quare non valde mirarer, ſi pergeres Concinae moleſtus

eſse, unum aliquem inveniri, qui videns te veritati, & modeſtae confutationi noluiſse acquieſcere, acriori ſtilo coercendum putaret. Conſideres autem velim quid agere, aut reſpondere poſses ei, qui te, ſcripto laceſseret, & hoc pacto vehementer urgeret: Age Noceti: quum velis eum, qui duodecim de Theologia morum ſcripſit grandia volumina, ob pauca quaedam, & leviſſima errata in impoſtorum numero eſse ponendum: quid illo fiet, qui uno exiguo libello, quem accuſandi cauſsa confecit, cuique propterea ne ſyllabam quidem peccare licuiſset, tam multa peccavit, ut ſumma errorum longe ſuperet numerum capitum, & paginarum? Cur hic impoſtor, cur injuſtus dicendus non eſt criminator? Si quis tecum ejuſmodi ſcripto contenderet, in eum te locum deductum viderem, ex quo nullum tibi pateret effugium. Nunc illud patet, uti te aliis credidiſse, & iſtas adverſus Concinam accuſationes ab iis accepiſse dicas. Nullum enim mihi cogitanti aliud occurrit, quo uti te poſse videam; quare diligenter cave, ne iſtud quoque tibi praecludas, pergenſque Concinam impoſturae, & ma-

lae

lae fidei arguere, cogas eos, qui bene de te exiſtimare vellent, opinari, non te nolentem hallucinatum eſse; ſed dedita opera iis accuſationibus, quae Concinae famam violare poſsent, iſtum libellum referſiſse.

Sed quamquam hoc tibi perfugium libenter concedo, non poſsum tamen ſatis mirari tam parum veritatis ſtudioſum fuiſse accuſatorem, qui ſibi vindicis veritatis perſonam impoſuit, & quarto quoque verbo, nihil haeſitans, malae fidei, calumniae, & impoſturae inſimulat adverſarium. Et ſane non video, ut caetera omittam, quemadmodum excuſare poſſis, tria magna peccata fuſa tanquam ſanguinem per totum corpus criminoſae ſcriptionis, quae nunquam tibi deſinam exprobare. Et primum, cum eſses pollicitus te nihil dubii, atque incerti, ullive litigioſae diſputationi obnoxium ſumpturum ad accuſandum; ſed omnia, quae Concinae opponeres, ejuſmodi argumentis probaturum, quae *Lectores minima mentis intentione, atque uno quaſi oculorum conjectu videre poſſent*, cupio videre, quomodo fidem tuam praeſtitiſse te probes, nihilque, niſi quod certum, quod

exploratum, quod nulli eſset obnoxium litigioſae diſputationi attuliſse demonſtres? Profecto non arbitror uſque eo te veri, & falſi, certi, atque incerti notitias exuiſse, ut, ſi ad ea, quae tribus epiſtolis reſpondiſti, animum advertas, contendere poſſis, certa, explorata, nulliuſque egentia diſputationis ea fuiſse argumenta, quae a me labefactata, ne tricis quidem, & infinitis argutiis defendere potuiſti. Quorum ſimilia cum ſint ea, de quibus in his epiſtolis agetur, illud reſtat, te nunquam obtemperaſse legi, quam tuipſe tibi indixeras, ne quem locum rebus dubiis, & incertis in tua accuſatione concederes. Et tamen huic legi in tanto, tamque atroci crimine, quale eſt calumnia, & impoſtura, omnino obtemperandum fuiſse quis neget?

Alterum peccatum eſt, quod nullam publici judicii rationem habueris, & ea rurſus Concinae criminoſe obieceris, de quibus ille publica *declaratione* ſatiſfecerat; quod quidem eo minus tibi ignoſci poteſt, quod probe ſcires, quale fuiſſet hoc judicium, quamque in eo acta eſsent omnia diligenter: nempe omnium graviſſimum, & inſtitutum apud eum,

quo

quo nemo in terris majorem obtinet au-ctoritatem: quam paratiſſimos ad illud veniſse accuſatores, a quibus primum lente, & faſtidioſe, deinde ab iis Theologis, quibus id negotii datum fuerat, pari diligentia excuſsum eſset opus Chriſtianae Theologiae:denique reum,non errore,quod,propter eximiam accuſatorum diligentiam, accidere non poterat, non gratia,non favore cujuſquam, quod conſtat inter omnes,ſed una innocentia,& judicis aequitate ſuperiorem diſceſsiſse. Quam igitur illiberale,ab omnique ratione, ne quid gravius dicam, alienum fuit, quae tractata in hoc judicio,& aequiſſimi Pontificis auctoritate compoſita fuerant, ea rurſus accuſatorie exprobrare, neque valere putare publicam *declarationem* ad ea, quae obiecta fuerant, diluenda, & propulſandum crimen impoſturae? Mirari ſane non debes, ſi contemptum hujus judicii, & iſtam licentiam, nolo enim gravius dicere, rurſus vindicandi id, de quo eſset tibi ſatisfactum, quotieſcumque mihi ſeſe offert occaſio, refutare non deſinam.

Tertium peccatum eſt,quod graviſſimum calumniae, & impoſturae crimen, inno-

innoxium in ſcriptorem, imprimiſque, velis nolis, diligentem, leviſſima quaque de cauſsa, conferre non dubites. Neque enim ſyllabam peccat, aut tibi Concina peccare videtur, virgulam non omittit, punctum loco non interponit, quin eum continuo impoſtorem, calumniatorem, injuſtum voces criminatorem. Nullum aliud noſti accuſandi, & reprehendendi vocabulum; aut, ſi noſti, nunquam uſurpandum tibi putaſti, ne qua pagina libelli tui vacua eſset eorum criminum nominibus, quibus malae fidei animis Lectorum infigeres ſuſpicionem: quod ſane non video, quemadmodum viris ſapientibus, &, ſi licet ſemel dicere id, quod tu nunquam obliviſci debes, Chriſto Judici ſis probaturus. Nam licet non negem in unam voculam cadere aliquando poſse crimen impoſturae, modo caetera concurrant, quae tantum, & tam atrox crimen deſiderare videtur, puta quod grave aliquid, factumque dedita opera probetur eſse id, in quo Scriptor erraſse convincitur; nego tamen eſse rationi conſentaneum, leviſſimum quodque Scriptoris erratum impoſturam, aut calumniam nominare.

LXXIV.

LXXIV. Meminiſse potes, me ſaepe de hac nova, atque inaudita accuſandi ratione queſtum eſſe, eamque in ſuperioribus litteris irriſiſſe; ſed opus non eſt ex iis, quae dicta ſunt, exempla petere; nam cum alia multa in his, quae ſequuntur, occurrent, tum ab uno ejuſmodi accuſandi genere ſumendum eſt initium dicendi. Nam caput ecce libelli tui quintum, ut alia bene multa, ita inſcribis: *vindicatur ab impoſtura P. Fagundez*. Quod eſt igitur tam grande Concinae erratum, quod tam gravi nomine appellas? Quam ejus ſententiam reprehendis? Nonne quod ſcripſerit Tom. 1. pag. 217. „ Datur ne materiae parvitas, quae legentem haereticorum libros ab ex- „ communicatione excuſet? ... Fagun- „ dez extendit hanc materiae parvita- „ tem ad paginam cum *dimidia* „.

O rem ridiculam, & nimis jocoſam! Si de peccato philoſophico, de homicidio, de calumnia, de perverſa pejerandi, aut blaſphemandi conſuetudine, & aliis ejuſmodi rebus ageretur, in quibus turpiſſime labitur, ut ego quidem judico, qui falſam introducit, tueturque ſententiam, non valde mirarer, inveniſſe te peccatum

catum impoſturae; ſed cùm agatur de parvitate materiaę in lectione librorum haereticorum definienda, qua in re qui fallitur non magnum fortaſſe interdum committit errorem, ſane miror, viſum non eſſe tibi, ne illum quidem magnum committere, qui ejuſmodi errorem falſo alicui tribueret. Nam demus id, quod paulo poſt falſum eſſe intelliges, nonnullum eſſe hoc in loco Concinae erratum. Quid igitur? An ſolum in laedendis Caſuiſtis nulla datur parvitas materiae, quam ipſi admittunt in omni fere controverſiarum genere, ne luxuria quidem, ut aliquibus placet, excepta? Et ſane vide quam ridicule accuſes: „ liberalitas, „ inquis, Patris Concinae erga Patrem „ Fagundez extendit illam materiae „ parvitatem ad paginam cum dimidia. „ Caeterum Pater Fagundez extendit ad „ *unicam tantum paginam*. En ejus ver„ ba in primum praeceptum Decalogi „ lib. 1. cap. 14. num. 4. *In aſſignanda* „ *parvitate materiae major eſt difficul*„ *tas: in qua mihi magis placet ſenten*„ *tia Sanchez, Emanuelis Rodriguez,* „ *Vivaldi, & Sà aſſerentium eſſe unam* „ *ſolam paginam* „.

At

At quid ſi demonſtro recte Conci-nam ſcripſiſſe, & Fagundez in ea fuiſſe ſententia, quae unius paginae, & alterius dimidiae haereticorum librorum lectionem ad parvitatem materiae pertinere conſtituit? Numquid erit cauſſae, cur te neges magno in errore eſſe verſatum? Non erit, inquies; ſed qui fieri poteſt, ut qui ſcripſit *unam ſolam paginam*, is unam, & alteram dimidiam ſcripſiſſe probetur? Age jam, nam quod fieri non poſſe putas, id ego confectum dabo. Nonne praeter alios auctores, quos in hac ſententia ſequitur Fagundez, nominat Vivaldum & Sancheſium? Et hujus quidem ita probat ſententiam, ut ſtatim adjungat: „ quod bene explicat Sanchez etiam „ quando liber fuerit ex voluminibus „ magnis, quae vulgo vocantur *de Marca* „ *Mayor*„. Nunc adverte animum. Nam cum Vivaldus in expoſit. Bullae num. 11. *unam pagellam*, Sanchez unam paginam *de Marca Mayor* illud parvum eſſe conſtituat, in quo legendo leviter peccatur; quaero ex te, utrum eandem Vivaldi, quam Sancheſii, putes eſſe ſententiam, & parem utrumque hujus materiae definire parvitatem? Non dices, opinor; plus enim di-

mi-

midio, vel eò amplius legere poteſt qui Sancheſii, quam qui Vivaldi probet ſententiam, niſi tam es pertinax, ut una pagella tantundem verborum contineri velis, quantum una pagina *de Marca Major*, continetur; vel nihil ad hanc quaeſtionem referre putas, quam multum legi poſſe dicatur, ſed quibus verbis id, quod legi poteſt, exprimatur. Itaque ut is, qui Sancheſii exponeret ſententiam, non falſo ſcriberet, eum duarum, triumve pagellarum lectionem eſſe velle materiae parvitatem, ita Concina horum Caſuiſtarum lectis opinionibus, & reminiſcens, Fagundez laudare quidem, & ſequi ſe dicere Vivaldum, neque tamen ejus pagella eſſe contentum, ſed, uti Sancheſio placuiſset, paginam grandioris formae legi poſse concedere, vere ſcripſit eum ad *paginam cum dimidia* proferre hanc materiae parvitatem. Vere, inquam, hoc ſcripſit, quia etſi verbis diſcrepat, re tamen, velis nolis, nihil diſcrepat ab ſententia Fagundez. Quare non ulla Concinae culpa fuit, quod ita ſcripſit; tua magna fuit, qui Caſuiſtae erranti parcere, quam Concinam non accuſare maluiſti. Et vero cum ſententia

Fa-

Fagundez magis diſtet ab ſententia Vivaldi, quam id quod ſcripſit Concina ab ſententia Fagundez, quid eſt, quod Concinae, qui nihil erravit, ſuccenſeas; Fagundez, qui ſe Vivaldum ſequi mentitur, non ſuccenſeas?

Eccur, inquies, ſequi mentitur, quando, licet alter unam paginam, alter pagellam legi poſſe ſcribat, uterque tamen non plus una legi permittit? At ego mentiri contendo, & cum ſupra dixerim magni referre ad hanc controverſiam, utrum paginam, aut pagellam Caſuiſta legi permittat, nunc apertius dico ſententiam Vivaldi ferri poſſe, Fagundez, & Sancheſii non item: de hac enim Sporerius ipſe Tract. 2. cap. 3. ſect. 4. num. 44. „ nimis laxè, inquit, Sanch. „ Rodriqu. Sa,aliique apud Dianam part. „ 5. tract. 5. reſolut. 42. integram pagi- „ nam majoris voluminis haeretici pro „ parva materia a mortali, & cenſura „ excuſante admittunt.

LXXV. Longè gravior eſt controverſia, de qua agis c. xviii., ſenſeritne Fagundez, praeceptum adorandi Deum aliquando per ſe obligare. Nam Concina Tom. 3. pag. 4. hanc quaeſtionem inſtituens: *quan-*

quando nam hoc praeceptum per ſe obliget?
„ Recentiores quidam Probabiliſtae „
„ inquit, P. Thomas Tamburinus Lib. 2.
„ in Decalogum cap. 4. §. 2. num. 4.
„ Fagundez lib. 1. in Decalog. cap. 32.
„ Rocafull Lib. 3. in Decalog. cap. 5.
„ dub. 2. aliique, quos citat Leander,
„ docent, nullo tempore hoc praceptum
„ per ſe, & directè adorationem im-
„ ponere, ſed tantum indirectè,
„ & per accidens „. Negas tu quidem in hac ſententia fuiſſe Fagundez; ſed nihil proficis. Primo, quia conſtat Concinam id, quod de eo, & caeteris Caſuiſtis hoc loco ſcribit, ex Leandro ſumpſiſſe, ac proinde, ſi Fagundez hujus Sententiae defenſoribus non eſſet annumerandus, is ſanè peccaſſet, qui eum primus annumeravit, neque deberet ad Concinam alieni peccati invidia pertinere. Is enim cum ſcripſerit, *quos citat Leander*, muneri ſuo cumulatiſſime ſatisfecit.

Nunc age pedem conferamus, locumque Fagundez conſideremus, in quo non eam, quam illi Concina attribuit, ſed contrariam putas contineri ſententiam: „ Reſpondeo, inquit, nullum tem-
„ pus certum dari, quo teneamur ex vi
„ hu-

„ hujus praecepti divini, & naturalis
„ Deum colere, & adorare. Sunt enim
„ multa praecepta juris naturalis, quae
„ certum tempus minime aſſignant; ut
„ praeceptum Fidei, dilectionis, &
„ ſpei, ut ſupra probavimus. Deter-
„ minatio ergo temporis deſumenda eſt,
„ vel ex circumſtantiis externis, & ar-
„ bitrio prudentis, vel ex jure poſitivo
„ Eccleſiae.

„ Eſt ne in his verbis, *inquis*, ullum
„ veſtigium obligationis ſolum indirectè,
„ & per accidens„? Puto eſſe nonnullum,
& praeſertim illud: *determinatio ergo temporis &c.* Nam ſi tum demum huic praecepto obtemperari convenit, cum ita poſtulat aliud praeceptum, vel cauſſa externa, puta, quod improbi, ut infra exponit, Dei majeſtatem blaſphemiis laceſſant, nihil eſt reliquum, quare per ſe obligare dicatur. Noſti enim tunc praeceptum per ſe obſtringere, cum nihil aliud incidere oportet, cur ei obtemperemus.

Sed ais pag. 33. „ Norunt omnes Theo-
„ logi, quam haec duo diverſa ſint inter
„ ſe, obligare ſolum indirectè, & per acci-
„ dens: & nullum dari certum, & de-

„ terminatum tempus, in quo obliget „ vi ſua. Praeceptum charitatis obligat „ ſine dubio vi ſua, directe, & per ſe. Et „ tamen nondum eſt certum, & deter„ minatum praeciſum tempus, in quo „ obligat „. Nihil iſta impediunt, quominus te falli confirmem. Nam primum volo mihi oſtendas, ubi doceat Fagundez, urgere praeceptum adorandi Deum, etiamſi nihil aliud incidat, quod nobis neceſſitatem imponat Deum adorandi? Hoc enim niſi demonſtras, nihil proficis exemplo praecepti charitatis, cui nemo docuit tum ſolum obtemperari debere, cum aliis praeceptis eſt obtemperandum, vel aliae incidunt cauſsae, quare animum ad diligendum Deum convertamus, niſi quidam Caſuiſtae, qui ejuſmodi eſſe negarunt, ut ipſum per ſe aliquando obligaret. Deinde non eſt neceſſe in praeſentia diſputare quid interſit inter illa duo: *obligare ſolum indirecte, & per accidens: & nullum dari certum, & determinatum tempus, in quo obliget vi ſua*: Nam ſatis eſt Caſuiſtas nihil intereſſe putaſſe, imo alterum cum altero connecti voluiſſe. Uno contentus ero, quem ne tu quidem recuſabis, teſte Tamburino, qui Lib. 2.

in De-

in Decalog. cap. 1. num. 9. edit. Lugdun. ann. 1669. (animadverte qua utar operum Tamburini editione, quae extat in cellula noſtra) ita differit : „ Puto per „ ſe, & directe nunquam obligari fideles „ ad credenda praedicta myſteria nec im- „ plicite, nec explicite ex vi neceſſitatis „ praecepti fidei .... Ratio prioris dicti „ eſt, quia, ut diximus in Opuſc. de „ exped. Sacrif. c. IX. §. 16. n. 5. nun- „ quam praeceptum aliquod obligat niſi „ ſit determinatum, cum enim non poſſit „ ut indeterminatum exire in executio- „ nem, non cenſetur practice eſſe com- „ plexum &c.

Intelligis, opinor, non magis ea duo, judicio Tamburini, eſſe diverſa, quam quae ſunt antecedentia, & conſequentia, proindeque aut falli te, aut inepte ratiocinari Tamburinum. Mea tamen nihil intereſt uter fallatur, Tamburinus ne, qui ea duo inter ſe connexa, an tu, qui putas eſſe diverſa. Illud miror, frequenter accidere, ut quae certa, vera, probabilia, conſequentia a Caſuiſtis, & forte abs te ipſo, cum eos legis, & neminem accuſare debes, eſſe putantur, ea, Concinam accuſandi cauſſa, falſa, incerta, minime-

que probabilia, & conſequentia eſſe defendas. O mirum te vindicem veritatis, qui quod hodie lectum in Tamburino, aut Sancheſio verum putas, idem cras, ut adverſarium laedas, falſum exiſtimás.

LXXVI. Accedo jam ad Filliuccium, in quo vindicando tam multa peccas, ut qui ſis, quamque tibi perſonam impoſueris prorſus oblitus eſſe videare. Et primum opponis c. XVII. Concinam Tom. 2. pag. 493. ita ſcribere „ qui ſolus nequit, cum „ ſocio verò poteſt Officium perſolvere; „ tenetur ne ſocium adhibere, ſi com- „ mode eo uti poteſt? .... Quaeſtio au- „ tem excitatur, dum ſocius commode „ haberi poſſit. Nam ſi opus eſſet ſoluto „ pretio ſocium acquirere, veriſimilius „ eſt cum tanto onere neminem obliga- „ ri.... Filliuccius... Laymanus ... diſtin- „ ctione utuntur. Si oculis caligans, vel „ coecus effectus ſolitus erat ſocium adhi- „ bere in recitandis horis, antequam im- „ pedimentum contraheret, tenetur ſo- „ cium adhibere, ut penſum ſolvat; „ ſecus vero, qui talem non habebat „ conſuetudinem: haec diſtinctio inanis „ eſt, & rationis vacua. &c.

His exſcriptis, concedis tu quidem hanc

hanc diſtinctionem inanem eſſe, atque a ratione alienam: „ ſed neque Fllliuccius, „ inquis, neque Laymanus eam adhibent: „ Sed haec eſt mera impoſtura „. An Concinae? Nam ego ab Filliuccio, & Laymano, ſi utriuſque locus integer afferatur, adeo manifeſtum exiſtimo iſtam diſtinctionem adhiberi, ut qui neget, is rem quamque perſpicuam negare poſſit. Recita ſententiam Filliuccii Tract. 23. cap. 9. num. 289. „ Dico ſecundo: qui „ non poteſt dicere ſolus, ſi poſſit cum „ Socio, & illum habeat ad manum ſine „ magno incommodo, tenetur: quia hoc „ ipſo quod facile poteſt cum Socio, non „ poteſt dici impotens. Nav. cap. 11. „ num. 11. & approbat Suarez num. 13. „ Idem dicendum de caeco, ſi memoriter ſciat Horas, vel cum Socio poſſit „ alternos verſus Pſalmorum dicere.

Hic tu facis hujus ſententiae deſcribendae finem: finem tamen non facis Concinae inſultandi: nam ſtatim addis: „ extundat ex his verbis P. Concina, ſi „ poteſt, diſtinctionem illam inanem & „ rationis vacuam, ſi non poteſt, fatea„ tur ſe impoſuiſſe „. Horum ille, ſi tibi reſponderet, neutrum faceret, nam ne-

que ex iis verbis ea diſtinctio elici poteſt, neque, cum ille elici poſſe non dixerit, ullius impoſturae ſe reum agnoſceret. Sed eſt tertium, quod facere poſſet, reliqua proferre Filliuccii verba, in quibus illa diſtinctio continetur, quaeque abs te praetermiſſa ſunt, ut cauſſam haberes accuſandi. Mene, inquies, vindicem veritatis iſto modo Scriptorem accuſare? Non decebat quidem; feciſti tamen; nam Filliuccius ſtatim addit: „ ſi enim habeat praebendam pin-
„ guem, vel ſolitus eſſet antea cum ſocio
„ recitare, etiam poſt coecitatem tene-
„ tur: ſuppoſito quod eadem facilitate id
„ agere poſſit „. Hoc igitur tibi ab Concina dictum putato: aut neget Nocetius, ſi poteſt, his Filliuccii verbis: *vel ſolitus eſſet antea cum Socio recitare*, inanem illam, vacuamque rationis diſtinctionem contineri, aut ſi non poteſt, fateatur ſe mihi per ſummmam injuriam improbam perſonam impoſuiſſe. Sed primum non poteris. Quid enim illud eſt, quod Filliuccius habet: *vel ſolitus eſset antea cum Socio recitare, etiam poſt caecitatem*&c.? An non plane indicat, Clericum, ſi ſolitus non erat cum ſocio recitare, poſt caecitatem non teneri? Nam cum illum recitare teneri poſt

poſt caecitatem cum ſocio *officium* dicat, qui ante cum ſocio recitabat, excludat neceſſe eſt eum, qui non recitabat ante caecitatem cum ſocio. Id ſi ita eſt, cur negas conceſſum fuiſſe a Filliuccio? Sequitur ergo per ſeſe ex verbis Filliuccii diſtinctio illa, quam Concina ſcribit, & tu confitere eſſe inanem.

Recita nunc Sententiam Laymani, l. 4.
„ tract. 1. c. 6. Si aliquis, qui cum ſocio re-
„ citare ſolitus ante non fuit ob inciden-
„ tem morbum, v.g. oculorum, ſolus re-
„ citare non poteſt, non eſt obligatus,
„ ut ſocium, ſive famulum ſtipendio
„ conducat.„ Ne iſtam quidem recte recitas, neceſſe eſt enim hoc modo eam proferre „ An qui horas canonicas reci-
„ citare ſolus non poteſt, ſed cum ſocio,
„ teneatur eum ſibi adſciſcere? Affirmant
„ Doctores communiter. Navarr. c. 11.
„ num. 13. . . . . quam tamen doctrinam
„ probabiliter limitat Garcias cit. p. 3.
„ c. 1. num. 215. Si aliquis, qui cum ſo-
„ cio recitare ſolitus ante non fuit, ob in-
„ cidentem morbum, v.g. oculorum, ſo-
„ lus recitare non poteſt, non eſſe obli-
„ gatum ut ſocium, ſive famulum ſti-
„ pendio conducat, niſi facile id fieri
„ queat.

Deſcripta hoc modo, ut par erat, Laymani ſententia nihil erat cauſsae, cur quaereres, quo demum pacto ex ejus verbis *elicere*, *aut exprimere* poſſet P. Concina *diſtinctionem illam inanem*, & *rationis vacuam*; conſtat enim opus non eſſe elicita, cum in oratione Laymani ſit expreſſa: nam is quoque loquitur de eo, *qui cum ſocio recitare ſolitus antea non fuit*.

Sed ais, Laymanum non docere, eum „ qui non habebat conſuetudinem, „ non teneri deinde recitare cum ſocio, „ ut P. Concina fingit: ſed non teneri „ ſocium, ſoluto pretio, conducere, ut „ ipſe P. Concina recte concedit„. Concina nihil fingit, ut ipſa oſtendunt verba Laymani. Sed tu velles rem perſpicuam implicare. Non de ſocio ſtipendio conducto quaerimus, ſed de eo, qui ſolitus ante coecitatem erat *officium* cum ſocio recitare. Laymanus eum, qui cum ſocio recitare ſolitus non erat, ab onere adſciſcendi ſocium *cum ſtipendio* liberat. Hanc exceptionem cum faciat, quid ſequitur, niſi, ut non liberet eum ab eodem onere, qui ante coecitatem recitare cum ſocio ſolebat? Alioquin inepta eſſet

illa

illa exceptio, ſi & eum, qui non ſolebat, & eum, qui ſolebat recitare ab eodem onere liberandos putaſſet. Si autem unum liberat, alterum non liberat, admiſerit diſtinctionem illam oportet, quae & Concinae & tibi inanis videtur. Quid plura? Salmaticenſes ecce, qui improbant, acceptamque referunt Filliuccio & Laymano hanc diſtinctionem. Scribunt enim Tom. IV. Tract. 16. cap. 3. punct. 6. §. 2. num. 43. pag. 235. edit. Lugd. 1679. hoc modo: „ Nec in hac parte nobis placet diſtinctio ab aliquibus adhibita de „ eo, qui ſolitus erat cum ſocio recitare, „ & qui non habebat talem conſuetudinem, & de illo dicunt teneri; de iſto „ vero admittunt non eſſe obligatum. „ Sic Filliuccius Tract. 23. cap. 9. num. „ 289. .... Laymanus Lib. 4. Tract. 1. „ cap. 6. num. 2. „ Quid ais, Noceti? Cur non ſcripſiſti adverſus Salmaticenſes quod in Concinam ſcribis initio capitis: „ Diſtinctio quidem inanis eſt & ra„ tionis vacua: verum neque Filliuccius, „ neque Laymanus eam adhibent; ſed „ haec eſt mera impoſtura.

LXXVII. Venio ad id, quod iterum ſcribis de Filliuccio Cap. LI. defenſam ab eo non

non eſſe propoſitionem, quam laxis Tom. v. pag. 145. Concina annumerat: „ Dormire quis nequit, niſi ſumta veſpere „ coena. Tenetur ne jejunare? minime. „ Si ſufficit mane collatiunculam ſumere, „ & veſpere caenare; tenetur ne ad id? „ non tenetur pervertere ordinem refe- „ ctionis. Ita Filliuccius, Eſcobar, Lean- „ der.

His enim deſcriptis „ colligat, inquis admodum confidenter, P. Con- „ cina neceſſitatem legendi Auctores in „ fonte. Filliuccius neque in ſua tracta- „ tione de jejunio, neque uſpiam alibi „ (vel doceatur ubi) non dico reſolvit, „ ſed ne nominat quidem quaeſtionem, „ quam proponit P. Concina. Nimirum „ utrum illi, qui jejunare poſſent ſumpta „ mane collatiuncula, & prandio in ve- „ ſperum dilato, teneantur id praeſtare, „ ut praeceptum obſervent.

Hic ego mitto Eſcobarium, a quo tribuitur haec opinio Filliuccio tract. 1. exam. 13. num. 104., ſed facere non poſſum, quin locum Leandri accurate tibi deſcribam, ex quo cognoſcas non ſolum ab eo quoque inter hujus Sententiae defenſores Filliuccium nominari; ſed etiam quan-

quanta ſit Leandri diligentia in colligendis cujuſque ſententiae fautoribus. Eſt enim valde luculentus. Attende jam.
„ An qui niſi coenando (ait 3. p. Tract. 5.
„ diſp. 8. quaeſt. 30.) dormire, aut ca-
„ leſieri non poſſunt, teneantur mane
„ collationem ſumere, & coenam ad no-
„ ctem differre? Reſpondeo non teneri...
„ Sic Paſqualigus deciſ. 265. citans pro
„ hac parte Ludovicum de S. Joann. ....
„ Dianam ... Sancium ... Ghislinum ...
„ Fagundez ... Trullench. Citat etiam
„ Diana pro hac ſententia Cajetanum,
„ Lopeſium, & Filliuccium ... Sed ex
„ hisDoctoribus nec Cajetanus id docet,
„ nec Ludovicus de S. Joann.; imo nec
„ Fagundez in prima editione; bene ta-
„ men in ſecunda n.19. cit. in fine. Si-
„ cut in ultima edit. tenet Joann. Hen-
„ riquez ſect. 16. q. 24.

Vidiſtin', accuratiorem Caſuiſtam, qui priores cum poſterioribus conferat editiones; aliorum Caſuiſtarum corrigat errata, quinam, & a quibus falſo laudentur, diligenter notet? Quod eum non hic ſolum, ſed alibi ſepe facere animadverti. Itaque amo, ob hanc rem, magnopere Leandrum, Concinaeque judicium lau-

laudo, qui ex omni numero Caſuiſtarum, tam diligentem, quem ſequeretur, delegit.

At hic Leander, inquies, Cajetanum excepit; Filliuccium non excepit. Recte fecit. Cur enim Filliuccium exciperet? Locum ipſum Filliuccii, quem tu diligens Concinae accuſator *in fonte* legiſti, conſideremus: Scribit enim Tom. 2. Tract. 27. part. 2. cap. 6. num. 103. „ Qui bona fide credit, ſe „ habere juſtam cauſam non jejunandi, & propterea non jejunat, is „ non peccat ſaltem mortaliter. Paludanus diſt. xv. quaeſt. iv. num. 1. „ Antoninus Part. ii. tit. vi. cap. ii. Sylveſter V. jejunium §. xxi. Cajetanus „ cap. iii. Nauarrus num. 20. Ideoque ſi „ cauſa non ſit omnino ſufficiens, peccabit venialiter defectu debitae diligentiae inquirendi, an cauſa juſta eſſet „ nec ne. Quo pacto excuſari poſſunt „ multi ſolventes jejunium, vel excedentes in refectiuncula: putant enim ſe „ non teneri ex variis cauſis, ut ob debilitatem, vel ad capiendum ſomnum.

Quid tu ad haec? Tu, inquam, vindex veritatis, qui neceſſitatem incul-

cas

cas auctores *in fonte* legendi: „ Ubi „ hic eſt, inquis, lectores aequiſſimi, „ quod Filliuccius inſtituat quaeſtio„ nem, utrum teneantur pervertere or„ dinem refectionis, qui collatione ma„ ne ſumpta, & prandio in veſperum di„ lato jejunare poſſent? Ubi eſt quod „ doceat, iſtos hunc ordinem perverte„ re non teneri?

Ludere mihi videris tuos aequiſſimos lectores, & cum eos roges ubi ſit id, quod tibi ob oculos poſitum eſt, id agere, ut ipſi non videant, quod te ſimulas non videre. Inibi eſt, Noceti; in extremis, inquam, Filliuccii verbis eſt id, quod lectores, ubi ſit, tam diligenter interrogas: ait enim: *quo pacto excuſari poſſunt multi ſolventes jejunium, vel excedentes in refectiuncula; putant enim ſe non teneri, ex variis cauſſis, ut ob debilitatem, vel ad capiendum ſomnum*. Quid hic agit, amabo te, Filliuccius? Quid tibi docere videtur? an non eos excuſat, qui ſomni capiendi cauſſa, jejunium ſolverent, aut coenulam ſumerent ſolito majorem? Et de coenula quidem non diſputo. Sed ſi jejunium ſolvere licet ei, qui incoenatus dormire nequit, hunc ſane neceſſe non eſt,

eſt, omiſſo prandio, una coena eſſe contentum, ſive, ut clarius dicam, in tempus coenae prandium differre. Atque hoc eſt, quod Concina reprehendit, & Filliuccium propugnaſſe dicit. At Filliuccius, inquis, non inſtituit hanc quaeſtionem: *utrum teneantur pervertere ordinem refectionis qui collatione mane ſumta, & prandio in veſperum dilato jejunare poſſunt*. Ridiculum. Quaſi vero nequeat ſcriptor, niſi inſtituta iſto modo quaeſtione, quidquam docere. An nihil docet Auguſtinus, nihil Chryſoſtomus, nihil Ambroſius, quod raro aut nunquam iſto modo quaeſtiones iuſtituant? An nihil docent Philoſophi, aut Theologi, cum, miſſa quaeſtione, pleraque concludunt ex iis quae praepoſita, & conſtituta ſnnt? Itaque non inſtituit quidem Filliuccius iſtam quaeſtionem, ſed ex praepoſita Paludani, Antonini, Silveſtri, & Cajetani doctrina concluſit id, quod in ea contineri putavit: fas eſſe jejunii tempore, ſomni capiendi cauſſa, non omiſſo prandio, veſperi coenare. In quo tamen magnopere erravit. Nam quid illi docent? Non peccaturum eum, qui jejunium ſolvat, ſi cauſsam, cur ſolvat, ſatis idoneam bona fide

de

de habere ſe putet. Aſſentior. At hoc non cadit in eum, qui incoenatus dormire non poteſt. Non video enim qui poſſit hic bona fide exiſtimare, licere ſibi, ut ſomnum capiat, jejunium ſolvere, cum facile videat poſſe ſe, omiſſo prandio, veſperi coenare, atque ita jejunii legem, quoad fieri poteſt, conſervare: niſi forte tam hebes eſſet, ut bona fide putaret, non poſſe ea coena, quae prandium non ſequitur, ſomnum conciliari.

Conſtat igitur nihil Eſcobarium, nihil Leandrum, nihil Concinam feſelliſſe, cum Filliuccium in ſubſidium hujus opinionis laudarunt; ſed te, cujuſmodi eſſet opinio Filliuccii, non ſatis attendiſſe, magiſque in adverſario accuſando, quam in vero cognoſcendo animum occupatum habuiſſe.

Videamus, an eam ſaltem recte intellexeris, quae eſt Cajetani, a quo ſuam Filliuccium accepiſſe dicis: ſcribis enim pag. 119. „ Quod ſi fortaſſe velit P. Con-
„ cina inſectari ſententiam, quae vere
„ traditur a Filliuccio, inſectetur; nihil
„ ad me. Sciant ſolum Lectores, Filliuc-
„ cium eam exſcripſiſſe a Cajetano Do-
mi-

„ minicano in Summa V. Jejunium cap.
„ III.ubi eam docet his verbis: *Et ex hoc*
„ *capite innumerabiles perſonae timora-*
„ *tae excuſantur ſaepiſſime a tranſgreſſio-*
„ *ne praecepti de jejunio:dum,vel ex mul-*
„ *tis reputatis ſecundum ipſas ràtionabi-*
„ *libus cauſis ſolverunt jejunium , aut*
„ *collationem exceſſivam putarunt ſibi li-*
„ *cere abſque ſolutione jejunii propter de-*
„ *bilitatem , aut propter ſomnum ha-*
„ *bendum* „.

Ego vero laudandam puto diligentiam Leandri, qui; ut ſupra demonſtravi, cum vidiſſet Lopeſium, Filliuccium, Cajetanum in ſubſidium ab Diana vocari hujus opinionis, Cajetanum excepit, Filliuccium non excepit. Nam certe Cajetanus ab cauſſis ſolvendi jejunii diligenter ſeparat vigiliam, aut neceſſitatem ſomni capiendi, ob quam neceſſitatem coenulam quidem ſumi paullo majorem, non autem jejunium ſolvi permittit. Ubinam, inquies, ita docet Cajetanus? Loco abs te indicato; atque illis ipſis abs te deſcriptis verbis: & miror ſane, te tam ſaepe ſic erraſſe, ut quae legeris, quaeque deſcripſeris, ea non ſatis intellexiſſe videaris. Itaque quid illa ſigni-

gnificant: *dum, vel ex multis reputatis ſecundum ipſas rationabilibus cauſſis ſolverunt jejunium: aut collationem exceſſivam putarunt ſibi licere abſque ſolutione jejunii propter debilitatem, aut propter ſomnum habendum*. An ab cauſſis ſolvendi jejunii non aperte diſtinguit vigiliam aut ſomni capiendi neceſſitatem, cui ut ſatisfiat non jejunium ſolvi, ut Filliuccius docet, ſed tantum *collationem exceſſivam ..... abſque ſolutione jejunii* ſumi poſſe concedit? Erravit igitur Diana, erravit Filliuccius, omnium maxime erravit vindex veritatis in Cajetano interpretando. Unus Leander verum vidit.

LXXVIII. Opponis cap. LII. illam etiam Filliuccio non vere a Concina tributam fuiſſe opinionem, quam refert Tom. V. pag. 321. „ An divites, qui „ exercent artes laborioſas, non ex in- „ digentia, ſed ſolum majoris lucri ac- „ quirendi gratia, a jejunio excuſentur? „ excuſari defendunt ..... Filliuccius ..... „ aliique „. *De Filliucio.*

Filliuccius To.II.Tract.XXVII.par.II. cap.VI. num. 120. ita ſcribit: „ An qui „ ob lucrum non neceſſarium ad pro- „ priam ſuſtentationem, vel ob laborem

„ diei praecedentis, vel futurum, non „ jejunant, excuſandi ſint? Reſpondeo, „ & dico primo: ſi lucrum notabile ſit, „ ejuſque occaſio non ſemper detur, ex- „ cuſare poteſt. Sylveſter V. jejunium „ q. 9. Roſel num. 19. &c.

Expone modo quid ſit, quod aliam Filliuccio, atque ipſe defendit, velis tributam eſſe opinionem. „ Non una de „ cauſa, inquis cap. LII., querimur minus „ ſincere repraeſentari hic ſententiam „ Filliuccii ..... Primum Filliuccius „ non nominat divites, quae vox in re „ praeſenti, de qua tractamus, eſt mul- „ to magis invidioſa „.

Concina divites nominat, ſed eos, qui exercent artes laborioſas: qui divites nihil differunt ab iis, qui laborem ſuſcipiunt ob lucrum non neceſſarium ad propriam ſubſtentationem. Idcirco Leander Tract. v. diſp. 8. quaeſt. 52. pag. 197. eodem modo quaeſtione propoſita: „ An divites, qui non ex indi- „ gentia exercent artes laborioſas excu- „ ſentur a jejunio? Cum communi, *in- „ quit*, ſententia probabilius reſpondeo, „ quod excuſentur. Sic Mayor, Silve- „ ſter, Leſſius, Reginaldus, Fagun-

„ dez,

„ dez, Filliuccius „. Itaque commenticium eſt, Concinam uſum eſſe in hac proponenda quaeſtione vocibus invidioſis.

Deinde Filliuccius „ loquitur qui-
„ dem, *inquis*, de lucro non neceſſario
„ ad propriam ſubſtentationem. Sed fie-
„ ri poteſt, ut quis non indigeat hic, &
„ nunc hoc lucro ad propriam ſubſtenta-
„ tionem, quin tamen ſit dives, ſed ſit ali-
„ quis artifex &c. „

Quaſi vero artifex dives eſſe non poſſit; aut ii, qui *exercent artes laborioſas*, ut Concina loquitur, ſint Reges, & Dynaſtae, non Artifices. Itaque nihil his argutiis reſpondendum puto.

Perge ſententiam Filliuccii interpretari: „ Filliuccius, *inquis*, non loqui-
„ tur indefinite de quocumque majori
„ lucro, ut praeſeferunt verba, quibus
„ P. Concina quaeſtionem exponit: ſed
„ apponit hanc primam limitationem,
„ ut lucrum majus ſit notabile.

„ Demum non loquitur de quacum-
„ que occaſione majoris lucri acquiren-
„ di: ſed de occaſione extraordinaria
„ raro occurrente; & quae, ſi permit-
„ tatur elabi, non ita facile reditura
„ ſit „.

 Haec

Haec ſunt omnium deterrima: quaſi vero ſi lucrum ſit exiguum, non liceat; ſi ſit magnum, liceat non jejunare: aut occaſio, quae rara, vel extraordinaria eſt lucri faciendi, tollere poſſit, quam praeceptum imponit, jejunandi neceſſitatem. Quid ſi illa Filliuccii adjectio: *ſi lucrum ſit notabile*, & ſupervacanea, & tantiſper etiam ridicula ſit? Ecquis eſt enim, aut tam avarus, qui exigui lucri faciendi cauſa, tantum laborem ſuſcipiat, ut iejunare non poſſit? aut tam irreligioſus, ut tenue lucrum praecepto jejunii anteponendum putet?

Ad Sylveſtrum quod attinet, quem Filliuccius, &, quod miror, Leander in ſubſidium vocant hujus opinionis, ſcire te convenit, lapſum eſſe in eo laudando utrumque Caſuiſtam; negatur enim a Sylveſtro luculenter, licere cuiquam cauſa lucri jejunium praetermittere: ait enim loc. a Filliuccio indicato: „ Addit etiam ſanctus Thomas, quod nolentes conducere operarios, niſi jejunium frangant, non ſunt immunes a culpa, niſi forte ſit cauſa neceſſaria, quae feſtinationem operis expoſcat: item quod ex parte operantis intentio

„ ma-

„ majoris lucri non neceſſarii non excu-
„ ſat . . . . . quod autem de laboratori-
„ bus dixit S. Thomas, intellige etiam de
„ itinerantibus cauſa lucri „.

LXXIX. Accedo ad cap. LIV. in quo ſcribis tu quidem hoc modo „ P. Concina Tom. 5. pag. 367. loquens de Parochianis, qui propter gravem neceſſitatem non ſolverunt Parocho decimas, ita ſcribit: *Cum tamen ſors melior affulgeret, ad reſtituendas decimas tenerentur. Nec audiendus Filliuccius, qui* tract. 27. 2. p. cap. 8. num. 166. *probabile eſſe judicat, ejuſmodi Parochianos ad reſtitutionem non teneri etiam divites effectos. Siquidem communiter Theologi hoc reprobant. In ſola enim extrema neceſſitate, quae conſumuntur, reſtitutioni non ſubjacent juxta communiorem Theologorum doctrinam* „. *De Filliuccio iterum.*

Tum his deſcriptis: „ illud *Non* in Filliuccio, *inquis*, non reperitur, ſed additum eſt a P. Concina liberaliter de ſuo. En Filliuccii verba loco cit.: *licet veriſimile ſit, eos, qui non habent neceſſaria ad congruam ſuſtentationem non obligari ad ſolvendas decimas cum tanto rigore, ut ex antiquo*

 „ *Ca-*

„ *Canoniſta moderatur hanc obligationem*
„ *Suarez loco cit. num. 16., & 17.*: tamen ſi poſtea ad pinguiorem fortunam
„ venerit, probabile eſt teneri ad eas integras reſtituendas: *& interim neceſſitatem comprobet Eccleſiae paſtoribus*.
„ *In extrema tamen neceſſitate nec tenetur ad decimas, nec ad reſtitutionem; ut neque is, qui in tali neceſſitate ſurripit alienum* „.

Quid igitur? quodnam Concinae peccatum reprehendis? Nullum enim video, quod reprendere poſſis. Nam ſi probabile eſt, eum, qui cum pauper eſset, decimas non ſolvit, divitem effectum integras ſolvere debere, illud etiam probabile erit, non debere: neque magni refert utro modo quaeſtioni Caſuiſta reſpondeat, propterea quod idem plane ſignificat, ſive ſcribat: *probabile eſt teneri ad eas integras reſtituendas*; ſive: probabile eſt, non teneri ad eas integras reſtituendas.

Sed hoc tibi non ſatisfacit? „non ſatis, „ inquis, per hoc conſultum eſt bonae „ fidei, quam hic deſideramus. Primo: quia verba P. Concinae in ſua naturali, & obvia ſignificatione „ per-

„ perſuadent, Filliuccium apponere il-
„ lud *non* conceptiſſime, & non per illa-
„ tionem, ut ex propria experientia te-
„ ſtari poſsunt Lectores.

„ Secundo, quia nempe praefata il-
„ latio (non) eſt univerſaliter bona. Fieri
„ enim poteſt, ut ſit probabilis una pars,
„ quin ſit probabilis altera oppoſita.
„ Quia fieri poteſt, ut pro una parte mili-
„ tent bona argumenta, & pars oppoſita
„ omni prorſus ratione deſtituatur. Ergo
„ neque provocando ad vim illationis
„ poteſt ſe ſatis tueri P. Concina ab im-
„ poſtura „.

Supervacaneum puto de his tricis tibi reſpondere, quibus non vereor, ne cuiquam perſuadeas, impoſtorem eſse Concinam, aut quidquam ab eo ſententiae Filliuccii eſse detractum. Atque ego non valde mirarer, ſi earum nunc te tantiſper puderet, nihilque in iis reperires dignum vindice veritatis. Unum quaero, an ei, qui dives effectus nollet integras reddere decimas, & aperto Filliuccio, conſilium abs te peteret, an liceat ſibi per eum non reddere, quidquam noceret abeſse orationi Filliuccii iſtud *non conceptiſſime*? Non puto; ſed ſatis eſset, ut ei

ad voluntatem reſponderes, Filliuccium ſcribere: *probabile eſt, teneri ad eas integras reſtituendas*, ex quo ſit conſequens, probabile eſse non teneri; & neutri, opinor, in ſuſpicionem caderet, utrum haec conſecutio ſit legitima, & an fieri poſſit, *ut pro una parte militent bona argumenta; & pars oppoſita omni prorſus ratione deſtituatur*. Tunc enim *pars* illa, cui nihil omnino obſtaret, non *probabilis*, ſed *certa* ſaltem *moraliter* diceretur. Verum, quod pace tua dixerim, hae argutiae tum ſolum excogitantur, cum opiniones Caſuiſtarum a viris doctis reprehenduntur, non tum, cum ab aliis, ut commodiores quaeruntur, & approbantur.

Atque ut melius intelligas, probari Caſuiſtis non poſse, quod hic Concinae opponis, illam conſecutionem non eſse legitimam, & fieri poſse, *ut pro una parte militent bona argumenta, & pars oppoſita omni prorſus ratione deſtituatur*, docendus es exemplo uno, & altero, Caſuiſtas, legitimam judicaſſe, & ex eo, quod una pars probabilis, probabiliorve diceretur, recte concludi putaſſe, alteram eſſe probabilem. Itaque noſti, non eſſe magis ſtabilem, pluribuſque argumentis

firj

firmatam ſententiam, quam quae docet, non licere tempore jejunii veſperi cenare, & veſci carnibus ei, cui, quod alii cibi noceant, carnes in prandium paratae fuerint. Etenim Benedictus XIV, quod fuit populo Chriſtiano ſalutare, hanc unam probavit, &, rejecta contraria, vigere voluit in moribus Chriſtianorum: & tamen non deſunt, quibus ſatis eſt, eam probabiliorem appellare, & is, qui in aureo ejuſdem Benedicti de *Synodo* opere *indicem* confecit, auſus eſt ſcribere pag. 620. *Jejunium Eccleſiaſticum probabilius ſervandum eſt etiam ab iis, quibus licet veſci carnibus diebus eſurialibus*. Quo pertineat haec fraus (nam Benedictus lib. VII. cap. 3. num. 2. definitam abſe fuiſſe ſcribit hanc controverſiam, omninoque ſcribi debuiſſet ab auctore *indicis*: *jejunium Eccleſiaſticum ſervandum* &c.) tu optime intelligis: ſcilicet, ut opportuno tempore concludere liceat, contrariam eſse probabilem. Quare ſi tanti faciunt Caſuiſtae hanc conſecutionem, ut eam vel in ejuſmodi ſententiis, quae a Summis Pontificibus confirmatae ſunt, valere arbitrentur, quam tu afferes morum controverſiam, in qua nolint eſſe legi-

legitimam? An illam, quam agitat Sancheſius lib.9.diſp.46. num.6.: *an oſcula & amplexus femine a viro habita ob ſolam venerеam & ſenſibilem delectationem ex ipſis conſurgentem abſque alia ſiniſtra intentione ſint culpa lethalis?* Atqui pugnabit Sancheſius in hac ipſa controverſia conſecutionem illam eſſe legitimam, & in numerum eorum, qui negantem ſententiam probabilem exiſtimant non injuria retuliſſe ſe dicet Dominicum Sotum ob eam cauſsam, quod in 4. diſt. 34. quaeſt. 1. art. 2. *oppoſitam ſeutentiam appellat* veriorem *quaſi ſupponens hanc eſse probabilem, ſed non ita certam, ac contrariam*. Pugnabit legitimam eſse Moya, rećteque de eadem quaeſtione concluſiſse ſe dicet Tract. de peccatis propoſ. 10. num. 10. „ nec diſsentiet „ M. Tabiena v. Cogit. moroſa num. 2. „ ubi indicat probabile delectationem „ moroſam non eſse peccatum mortale, „ quia de contraria, & communi, & veriſ- „ ſima ſententia ſolum ait quod eſt ſecu- „ rior „. Inepte quidem ambo, & ut alia pleraque, invidioſe; cum iſtis vocibus comparativis uti conſueſsent ſcholaſtici non ſolum cum alicujus quaeſtionis partem alteram

teram altera potiorem judicarent; ſed etiam cum quid omnino certum & exploratum eſset, proponerent. At nunc de Soto & Tabiena nihil attinet dicere. Illud conſtat probabiliſtas, ſi ſecurius, aut probabilius quidpiam dicant, oppoſitum ei putare eſſe probabile, adeoque ejuſmodi ratione argumentandi uti. Nam quomodo Sancheſius, (idem dico de Moya) ex eo, quod Sotus vocem *veriorem* uſurpaſset, probabilem eidem viſam eſse concluſiſſet contrariam opinionem, niſi legitimam judicaſſet ejuſmodi argumentandi rationem? Quare licuit Concinae eadem uſum eſſe putare probabiliſtam Filliuccium, cumque ſcripſit: *probabile eſt teneri ad eas integras reſtituendas*, aeque probabile cenſuiſse, *non teneri ad eas integras reſtituendas*: praeſertim, quod ſi ullum eſt genus quaeſtionis, in quo *ſit probabilis una pars*, *quin ſit probabilis altera oppoſita*; & in quo *pro una parte militent bona argumenta*, *& pars oppoſita omni prorſus ratione deſtituatur*, illud omnino ſit, in quo veriti non ſunt Sancheſius & Moya iſto genere uti argumentationis. Denique fac poſſit reperiri genus quaeſtionis, in quo *ſit probaailis una*

pars,

pars, quin ſit probabilis altera &c. atque adeo, in quo non valeat iſta argumentandi ratio: quid hoc te juvat, niſi probas ejuſmodi eſſe eam, de qua agit Filliuccius, & nos diſputamus? Hoc quale ſit quaeſo conſidera. Nam, ſi in hac Filliuccii quaeſtione valeat illa argumentatio, non video quid attineat ad Concinae fidem labefactandam, fieri poſſe, ut eadem non valeat in alio genere quaeſtionis.

De Filliuccio tertio. LXXX. Sed jam majus videamus, pace tua dixerim, erratum tuum in extrema Filliuccii defenſione. Scribit Concina Tom. 5. pag. 430: „ An qui non poteſt „ propria voce confiteri, quia mutus eſt, „ teneatur confiteri per nutus, vel ſcri„ pturam? Reſpondeo. Multi negant ... „ Valentia Tomo 4. diſp. 7. quaeſt. 11. „ puncto I. Filliuccius Tract. 7. nume„ ro 63. „

Quid tu ad haec? „ Neque ſincere, „ *inquis*, cap. LVI. repraeſentatur a „ P. Concina ſententia Valentiae, ne„ que Filliuccii. Quaeſtio proponitur „ disjunctive, per nutus, vel per ſcri„ pturam. Dicuntur negare Valentia, „ & Filliuccius. Qui negat disjunctivam,

„ vam , ut cuilibet Summuliſtae notum „ eſt , propugnat copulativam . Ut igi- „ tur verum ſit , Valentiam , & Filliuc- „ cium negare illam disjunctivam ; pro- „ pugnet uterque , oportet , hanc copu- „ lativam : *Mutus ille neque tenetur* „ *confiteri per nutus , neque per ſcriptu-* „ *ram* . His poſitis .

„ Filliutius negat quidem per ſcri- „ pturam ; ſed utrum mutus ille teneatur „ confiteri per nutus,neque affirmat, ne- „ que negat , neque hanc quaeſtionem „ ullo modo attingit , vel P. Concina „ proferat Filliuccii verba , quibus de „ hac quaeſtione loquatur .

„ „ Valentia negat quidem ipſe etiam „ per ſcripturam , ſed per nutus non mo- „ do non negat , ſed expreſſiſſime affir- „ mat „ .

Quum in ſuperiore quaeſtione de ſyllabis propemodum dinumerandis diſ-ſerueris, in hac ab dialectica auxilium petis : ſed neutrum tibi proderit . Ne longum faciam . Quid ais ? Filliuccium , & Valentiam negare dumtaxat de ſcriptura? Hoc idem ait Concina : locum , quem integrum tibi deſcribo attente legito ; nam tuum erit , cum huic epiſtolae reſponde-

debis, cauſſam afferre, cur integrum non deſcripſeris, & impoſturam, ſi quae erit, in verbis Concinae, indicare.

„ An qui non poteſt propria voce
„ confiteri, quia mutus eſt, teneatur
„ confiteri per nutus, vel ſcripturam?
„ Reſp. Multi negant, ut Navarrus in
„ Manual. cap. 11. num. 36. Diana 3. part.
„ Reſolut. 128. Sotus in iv. diſt. xviii.
„ Valentia Tom. iv. diſp. vii. quaeſt. xi.
„ punct. 1. Filliuccius Tract. vii. num. 63.
„ Henriquez Lib. iii. cap. iv. Armilla,
„ Angelus, Ledeſma, Richardus, Vega,
„ & alii. Hi omnes (hic adverte ani-
„ mum, atque expende, quam deſideras,
„ Concinae diligentiam) negant debitum
„ eſſe confitendi per ſcripturam, quando
„ poenitens eſt mutus, vel Sacerdos ſur-
„ dus &c. „

Intellextin? Quo igitur illa pertinent plena argutiarum: „ quaeſtio pro-
„ ponitur disjunctive, per nutus, vel per
„ ſcripturam: dicuntur negare Valentia,
„ & Filliuccius: qui negat disjunctivam,
„ ut cuilibet Summuliſtae notum eſt, pro-
„ pugnat copulativam „. Horum nunc te puteat neceſſe eſt; nam quaeſtio quidem proponitur *disjunctive*, ſed nullum hoc tibi

tibi debuerat exhibere negotium; nam licet cuique, uti libet, quaeſtionem proponere. Dicuntur negare Valentia, & Filliuccius; at non dicuntur negare *disjunctivam*, ut falſo Concinae affingis, ſed ſolum partem *disjunctivae*: dicuntur enim plane, aperte, & dilucide negare de ſcriptura.

LXXXI. At de Francolino paulo diligentius differendum videtur; magna res enim, atque haud ſcio an omnium graviſſima in controverſia poſita eſt; quemadmodum agi conveniat a Sacerdote cum iis, qui peccandi conſuetudine implicantur, & cum eam parum, aut nihil minuere laborent, dolore ſe tamen, cum ad exomologeſim faciendam accedunt, deliberatumque ſibi eſſe affirmant mores emendare. Eſt enim haud parva Caſuiſtarum manus, qui huic hominum generi plus nimio indulgent, hac inducti ratione, quod propoſitum ſitum ſit in voluntate vitandi peccatum, non in vitatione peccati; atque ita ſtatuunt recte facturum Sacerdotem, qui ne his quidem firmum propoſitum abeſſe putet, impertiatque nihil haeſitans abſolutionem. Horum opinionem cum vehementer probaret *De Francolino.*

Fran-

Francolinus, operoſeque defenderet in eo libro, quem inſcripſit: *Clericus Romanus*, refellendum ſibi ſumpſit Epiſcopum Genettum, qui contrariam ſtrenue tueretur, ſcriberetque Tom. 4. Tract. 6. cap. 5. quaeſt. 19. *firmum conſtanſque, ſeu non vacillans*, eſſe debere novae vitae propoſitum, idque Sacerdoti priuſquam abſolvat cognitum, quoad ejus fieri poteſt, eſſe oportere. Haec Francolinus, ut ab nimium ſevero, & rigido Doctore profecta, & ei, qua eſſe debemus, erga miſeros homines, miſericordiae contraria vehementer improbavit loco indicato lib. 2. Calumn. 10. diſp. 10. num. 26. pag. 99. Edition. Venet., Genettumque Concilii Tridentini, quo maxime nititur, auctoritate abuti pronunciavit. At Concina Tom. 9. pag. 256. cum in hunc locum veniſſet, remque diligenter expendiſſet, Francolinum erroris arguendum, Genettum autem quod vera, quod divinae Scripturae, Sanctorumque Patrum doctrinae conſentanea doceret defendendum putavit. Sed quia non omnem exſcripſit verborum Francolini ſeriem, & ea tantum ſumpſit, quae ſummam ejus ſententiae continerent, hinc

hinc eam decurtatam, depravatam, maleque a Concina explicatam fuiſſe dictitas, & Caput libelli tui LXXXVII. ita inſcribis: *vindicantur a pluribus impoſturis Francolinus, & La-Croix*. At ego poſtquam de Francolini doctrina, Genettoque ab eo confutat diſſeruero, ſpero fore, ut te poeniteat hujus expoſtulationis, pudeatque Francolini doctrinae, quam tanto deteriorem eſſe agnoſces, quanto minus Concina tibi videtur omnia ejus dicta diligenter expendiſſe, aut locum, de quo eſt ſermo, accurate deſcripſiſse. Itaque recita, quando ita vis, prolixam Francolini Sententiam. „ At „ ipſi forte (Doctores rigidi) non vident „ ſuae doctrinae conſequentias; ut cer„ te eas non vidiſſe dicendus eſt (*hic in„ cipit P. Concina a nominativo omnino „ ſuſpenſo*) Franciſcus Genettus in ſua „ recentiſſima Theologia morali edita „ Pariſiis Ann. 1703. Ex pluribus exem„ plis rigidiſſimae ipſius doctrinae, unde „ gravia ſequantur abſurda, unum af„ feram ex Tom. 4. Tract. 6. de ſacram. „ Poenit. ubi cap. 5. quaeſt. 19. docet; „ ad veram contritionem in hoc Sacra„ mento requiſitam eſſe neceſſarium con-

„ ſtans propoſitum, non inquit *propoſitum*, ſed *conſtans propoſitum*, idque
„ debere innoteſcere confeſſario antequam abſolvat.

Hic Concina finem hujus loci deſcribendi fecit, inque Francolinum, qui Genettum reprehendit, ita invehitur:
„ redarguit iterum P. Francolinus Genettum, quod moneat, non eſſe ſaepe credendum lachrymis peccatorum.
„ Haec ſunt Francolini verba loco citato: *His enim non eſſe credendum ſatis docet cap. 5. quaeſt.* 21. *audi pulchram rationem. Nam ſaepe lachrymae proveniunt*, *inquit Gennet*, *ab humano prorſus affectu*, *vel ex imaginatione objecto aliquo inſolito commota*. Ex his Doctrinis Epiſcopi Genneti plura abſurda elicit P. Francolinus; deinde ibidem num. 27. exclamans concludit: *Quis unquam audivit tam abſurdas doctrinas*, *tam ſeveras*? Heu quis unquam audivit tam
„ *Abſurda Paradoxa contraria*, *& tam laxa*? Doctrina Genneti eſt ipſiſſima
„ S. Pauli, cujus teſtimonium Gennettus ipſe adducit: quae ſecundum Deum eſt triſtitia, poenitentiam opera-

„ ratur ſtabilem. Et Francolinus vociferatur:quis audivit tam abſurdas Doctrinas? Abſurda ne S. Paulus Apoſtolus docet? Abſurda immo, quae elicit P. Francolinus non ex doctrina S. Pauli, & Genetti; ſed ex novo opinandi modo ab Evangelica ſimplicitate, & Patribus alieno proficiſcuntur. *Excuſandus*, concludit Francolinus, *Genettus, quod has conſequentias non vidit. Sed has conſequentias videt optime daemon: qui ſub hac ſpecie rigidae pietatis nos decipit, & latens venenum ſecurius miſcet.* Ibidem num. 27. *Laxam* Francolini opinionem tranſcripſit Pater La-Croix lib. 6. p. 2. n. 1824. ubi inquit: *inferes ſecundo etiam audiendum non eſſe Genettum Tom. 4. &c. ubi docet, pro hoc Sacramento requiri conſtans propoſitum, & quod conſtans ſit debere innoteſcere Confeſſario antequam abſolvat.* Non debet ergo Confeſſarius prudenter judicare Poenitentem abſolvendum habere *conſtantem* voluntatem non peccandi in poſterum? Nequaquam. Ergo ſufficit illum habere voluntatem *inconſtantem*, ut hodie habere permulti

„ Poenitentes ſolent, qui confitentur,
„ & poſt *triduum*, aut *quatriduum* eadem
„ repetunt flagitia, & in perpetuo
„ Sacramentorum, ac relapſuum circulo
„ vitam agunt. Scilicet. Cedo : aut debet
„ habere Poenitns voluntatem *conſtantem*,
„ aut inconſtantem. Si primum,
„ Doctrinam rigidiſſimam doces, inquit
„ P. Francolinus cum P. La-Croix. Si
„ contra nos dicamus, Doctrinam Francolini,
„ & La-Croix eſſe *laxiſſimam*,
„ lamentantur, turbas cient. Quaero
„ ſi vos ipſi adverteretis, eum qui accipit
„ pecunias mutuas, *voluntatem inconſtantem*
„ reſtitutionis habere, illi ne
„ pecunias crederetis? Doctrina Francolini,
„ & La-Croix non modo *laxa*,
„ ſed *Concilio Tridentino*, & *Eccleſiae*
„ contraria apertiſſime mihi videtur.
„ Poenitens habere debet voluntatem
„ conſtantem fortem, & ut S. Paulus dicit,
„ ſtabilem non offendendi Deum,
„ ut ſit rite diſpoſitus ad abſolutionem
„ idque ex ſignis probabilibus judicare
„ Confeſſarius debet. Aliud eſt quod
„ poenitens poſt hanc voluntatem *conſtantem*,
„ *relabatur*. Aliud eſt, quod
„ dum confitetur, habere non debeat voluntatem
„ conſtantem. His

His tu deſcriptis „ ego inquis , re-
„ ferendo quae a P. Concina truncata
„ ſunt, & per magni intererat non trun-
„ cari , revelabo Doctrinam Genetti ,
„ Doctrinam Francolini , & La-Croix ;
„ illationes ex doctrina Genetti rite de-
„ ductas ; propoſitiones iis illationibus
„ contrarias : & de his omnibus judican-
„ dum lectoribus more meo relinquam .

Perge igitur , & quod reliquum eſt, recita Francolini teſtimonium , & iſtam conſecutionum farraginem , ut videamus quam bonas merces proferre potueris ex officina hujus Caſuiſtae: „ Quod ipſum
„ confirmat cap. 7. quaeſt. 15. dicens :
„ unam ex neceſſariis diſpoſitionibus ad
„ abſolutionem juxta Concilium Tri-
„ dentinum ceſſationem a peccato : non
„ eſſe autem cenſendum quod ceſſarit a
„ peccato , qui quamvis poſt ultimam
„ confeſſionem , & propoſitum rarius
„ peccet , aliquando tamen peccat .

„ Ex hac doctrina (hic incipiunt
„ illationes) ſequitur primo , quod qui
„ poſt plures lapſus , & peccata paulo
„ ante commiſſa accedit prima vice ad
„ Confeſſorem , is non poſſit ſtatim eum
„ abſolvere , ſed debeat differre . Hanc

„ conſequentiam ipſe videt, & admittit,
„ nec repugno. Sequitur ſecundo: quod
„ ſi is redeat ad Confeſſorem, ſed nihil
„ emendatus, nec debeat abſolvi, ſi
„ praeſertim media ipſi praeſcripta non
„ adhibuit. Hanc etiam videt, & ad-
„ mittit. Igitur erit is iterum rejicien-
„ dus, utcumque dicat ſe nunc vere do-
„ lere, & lacrymas fundat. His enim
„ non eſſe credendum ſatis docet cap. 5.
„ quaeſt. 21. audi pulchram rationem;
„ *nam ſaepe lacrimae proveniunt*, in-
„ quit, *ab humano prorſus affectu*, *vel*
„ *ex imaginatione objecto aliquo inſolito*
„ *commota*.

„ Sequitur tertio, quod ſi is re-
„ deat tertia vice ad confeſſarium fere
„ penitus emendatus, itaut peccarit ſo-
„ lum ſemel, aut bis qualibet hebdoma-
„ da, cum prius idem peccatum com-
„ mitteret ſaepius in die (ſunt verba
„ Genneti) nec poſſit abſolvi: non ha-
„ bet enim diſpoſitionem neceſſariam ex
„ Tridentino, juxta modernum hunc in-
„ terpretem; nempe propoſitum conſtans,
„ & ceſſationem a peccato. Hanc etiam
„ conſequentiam videt, & admittit pa-
„ gina 112.

„ Se-

„ Sequitur quarto : quod ſi vel
„ ſemel tantum intra ſpatium plurium
„ mentium ſuae probationis lapſus ſit, &
„ quarto redeat àd confeſſionem ; ſit ſi-
„ militer ſine venia dimittendus . Con-
„ ſequentia eſt manifeſta .

„ Sequitur quinto : quod ſi poeni-
„ tens accedat cum uno ſolo peccato
„ mortali , quod heri prima vice com-
„ miſit , e. g. cum pravo deſiderio , cum
„ moroſa delectatione , vel alio hujuſ-
„ modi , non poſſit ſtatim abſolvi : non
„ enim poteſt confeſſarius ſcire , an ha-
„ beat propoſitum conſtans , niſi poſt
„ propoſitum perſeveret ſine peccato per
„ tempus aliquod notabile , quod ipſi di-
„ citis eſſe ad minus aliquot hebdoma-
„ darum , ſeu menſis ſpatium .

„ Sequitur ſexto ; quod is neque in
„ articulo mortis poſſit abſolvi ; ut ne-
„ que ille , de quo loquebamur , paulo
„ ante , qui propter unum relapſum eſt
„ quarto rejectus (negat hoc quidem
Gennetus , ſed incohaerenter . Id enim
veriſſime ſequitur , ut probat eviden-
ter argumentum Francolini ſtatim
ſubjiciendum : quia nempe diſpoſitio
neceſſaria juxta Tridentinum ad Sa

cramentum paenitentiae non eſt alia, pro tempore vitae, & alia pro tempore mortis;) „ ſiquidem nec in mortis ar-
„ ticulo abſolvi poteſt, qui caret diſpo-
„ ſitione neceſſaria, nempe aliqua ex il-
„ lis, quae requiruntur ex Tridentino,
„ quarum unam dicit is auctor eſſe pro-
„ poſitum conſtans, & habitualem ceſ-
„ ſationem a peccato.

„ Sequitur ſeptimo: eamdem pra-
„ xim eſse ſervandam cum iis, qui ſola
„ peccata venialia confitentur. Triden-
„ tinum enim non diſtinguit; ut vera,
„ poenitentia eſt requiſita in utraque
„ confeſſione: ergo ſi in confeſſione mor-
„ talium requiritur propoſitum conſtans,
„ quia requiritur vera poenitentia, id
„ etiam requiritur in confeſſione unius
„ venialis praeſertim deliberati. Ergo
„ erit differenda abſolutio etiam ei, qui
„ cum uno ſolo peccato veniali heri com-
„ miſso accedit ad confeſſionem, eritque
„ prius diu probandus.

„ Quis unquam audivit tam abſur-
„ das doctrinas; tam ſeveras, & repe-
„ titasejuſdem Poenitentis fere in to-
„ tum emendati dimiſſiones, tam im-
„ piam cum Moribundis crudelitatem„?

LXXXII.

LXXXII. Equidem defeſsus ſum ſcribendo, ſed mos tibi gerendus erat, atque integer deſcribendus Francolini locus, ne me quoque,ſi quid omiſiſſem,malae fidei arguendum putares. Nam legendo non dicam, me eſſe defeſſum, ſed magno taedio affectum, cum ea legerem, quae probare omnino non poſsem. Etenim ſic exiſtimo: ea, quae Francolinus ex doctrina Genetti putat eſse conſequentia partim quidem vera eſse, & Francolinum, qui ea repudiat, non eſse ferendum, partim autem falſa, ſed haec ex doctrina Genetti conſequentia non eſse.

Illud miror, unum vos Genettum inſectari, hunc unum hujus ſententiae auctorem nominare, quaſi unius Genetti abſurdam aliquam opinionem, non omnium Patrum doctrinam, quam ille defendit; non explicatam a plurimis Epiſcopis, qui Synodos celebrarunt, hujus Sacramenti rite adminiſtrandi rationem, oppugnetis. Quid enim docuit Genettus, quid ſcripſit,quod non a Gregorio,non ab Anſelmo,non a Thoma,non abAntonino, non a Petro Bleſenſi,non a Laurentio Juſtiniano,non a Carolo Borromaeo,non ab mul-

multis illuſtrium Epiſcoporum Synodis, non ab ipſo ſumpſerit Concilio Tridentino? Et cum talium ille tantorumque Virorum auctoritate nitatur, cum hos ſolos loquentes inducat, nihilque ſtatuat, niſi quod perſpicuis eorum teſtimoniis confirmare poſſit, cur ita oppugnatur, novuſque per jocum Concilii Tridentini interpres appellatur, quaſi nihil minus, quam hujus Concilii & ceterorum Patrum doctrinam explicet atque defendat? Cur Francolinus, omnia praeteriens ab eo prolata documenta, in uno verbo *conſtans* ineptiſſime cavillatur; tum, quaſi re confecta, doctrinam Genetti invidioſis conſecutionibus odioſam reddere conatur? Sapientis erat Theologi aperte docere, vel erraſſe Genettum, & eos, quos laudat non intellexiſſe; vel eos ipſos, quos Genettus ſequitur auctores, in errore eſſe verſatos? Ejuſdem erat petitum ab Genetto ex doctrina Concilii Tridentini argumentum accurate diluere; planumque facere quid ſibi velit Concilium cum ſeſs. 4. cap. 4. docet: *hanc contritionem non ſolum ceſſationem a peccato, & vitae novae propoſitum, & inchoationem, ſed veteris etiam odium continere?* Scilicet

ex

ex hac Concilii doctrina non eſt conſequens, ſi Francolino auſcultamus, firmum, & conſtans, hoc eſt conjunctum cum vitatione peccati eſse debere propoſitum; nam hoc primum ab Janſeniſtis profectum, & ab Genetto eorum fautore propugnatum fuiſse dictitat, firmam fore non putans ſuam opinionem, niſi huic contrariam omnium Patrum ſententiam Janſeniſtarum propriam eſse diceret, odioſamque hoc nomine redderet populo Chriſtiano.

LXXXIII. Quae eſt igitur Concilii Tridentini ſententia? Quid ſibi volunt illi Patres cum homini cupido ſalutis inculcant *ceſsationem* a peccato? Tecum ago Noceti. Aperi jam quid erret Genettus, quid intelligat Francolinus, quid ſit id, in quo cauſam conſtituis, cur Concinam eſse dictites impoſtorem. Nam quia dixiſti, te, deſcripto Francolini teſtimonio, manifeſtaturum, quae ſit Genetti, & Francolini doctrina, quae maxime a ratione aliena conſequantur ex ſententia Genetti, quae his contraria propugnet Francolinus, hunc ordinem, dicendique rationem in mea diſputatione conſervabo. Illud ſemper meminiſse te volo

volo nos agere de eo, qui pejerare, blaſphemare, aut aliud ejuſmodi facere conſuevit, & cum primum a Sacerdote rejectus, & ea edoctus eſset, quae facere deberet, ad eum revertit etiamſi nec conſiliis paruerit, neque peccandi minuerit conſuetudinem; quem abſolvi poſse dicis pag. 244. „ Poteſt abſolvi Poenitens „ in ſecunda Confeſſione, quamvis nul„ lam emendationem attulerit; dum„ modo tamen affirmet ſe tunc vere do„ lere, & *lacrymas fundat* „. De hoc, inquam, homine ſermonem eſſe cum Francolini & Genetti ſententiam exponis, fac ut memineris. Itaque ad illud tam prolixum Francolini teſtimonium haec adſcribis: „ En igitur quaenam ſit illa *con*„ *ſtantia*, quam in propoſito neceſſario „ ad abſolutionem requirit Epiſcopus „ Genettus, & quam e contrario reji„ ciunt Francolinus, & la-Croix. Ni„ mirum, non *conſtantia* ſumpta pro de„ liberatione firma, abſoluta, & effica„ ci vitandi in poſterum omne pecca„ tum, incomponibili, ut ajunt Theo„ logi; cum omni voluntate peccandi; „ quam certe Confeſſarius non poteſt; „ per ſe loquendo, prudenter praeſume-

„ re,

„ re in poenitente, qui tertia vel quarta
„ vice redeat ſine ulla, aut fere ulla emen-
„ daione. Sed *conſtantia*, quæ trahat ſecum
„ *re ipſa*, &, ut ajunt, in actu ſecundo, *ceſ-*
„ *ſationem omnimodam, & habitualem*
„ *per notabile tempus*. Itaut *talem conſtan-*
„ *tiam* non habeat, ac proinde utpote
„ indiſpoſitus abſolvi nequeat, neque
„ ille, qui licet poſt ultimam confeſſio-
„ nem, & propoſitum rarius peccaverit,
„ *aliquando* tamen peccavit; neque ille,
„ qui *ſemel vel bis* in hebdomada com-
„ miſit illud peccatum, quod ante ulti-
„ mam Confeſſionem, committere ſole-
„ bat *ſaepius in die*; ſed ille ſolus, qui
„ *omnino ad longum tempus a peccato ceſ-*
„ *ſavit*. En quas doctrinas appellaverit
„ Francolinus *abſurdas*, & *ſeveras*; ſupe-
„ riores nempe illationes, quae ab expoſi-
„ ta Genetti doctrina rite deſcendunt „.

Difficile non eſſet oſtendere, nihil te proficere hoc tanto verborum apparatu; negatumque ſimpliciter eſſe ab Francolino firmum, & conſtans eſse oportere propoſitum. Quid enim aliud intelligi poteſt, cum loco indicato de Genetto ſcribit:
„ Docet ad veram contritionem in hoc ſa-
„ cramento requiſitam eſſe neceſsarium

„ *con-*

„ *conſtans propoſitum* ; non inquit propo-
„ ſitum, ſed *conſtans propoſitum*, idque
„ debere innoteſcere confeſsario ante-
„ quam abſolvat „. Quid brevius? quid clarius? quis ſic loquitur, niſi qui propoſitum probat, *conſtans* non probat? At videndum eſt, inquies, quid eſse intelligat Genettus conſtans propoſitum. Id quidem videbis ſed tempore. Nunc quidquid ſenſerit Genettus, nihil id ſane ad excuſandum Francolinum valere poteſt. Debuerat enim Francolinus, ſi non propoſitum conſtans, ſed aliquid aliud, quod intelligeret Genettus, rejiciebat; id quale tandem eſset lectoribus patefacere: quod cum non fecerit, & nihil aliud ex Genetto protulerit, niſi quod ſcripſerit, conſtans eſse oportere propoſitum in eo, qui ad exomologeſim faciendam accedit; idque non improbarit modo, ſed etiam irriſerit, exemplumque eſse dixerit *rigidiſſimae* Genetti *doctrinae*, quid aliud reſtat niſi ut conſtans propoſitum negaſse exiſtimetur?

Sed quoniam libet in hac controverſia eo te ſequi, quocumque tibi confugere libuerit, hoc omiſso, libenter expendam quid Genettus, quidve Franco-

colinus eſse intelligant conſtans propoſitum ; diſseramque, quando ita fas eſt, de harum vocum interpretationibus, in quibus magnum cauſsae Francolini praeſidium conſtituiſti. Dicis igitur: Francolinum ponere propoſitum non in vitatione peccati, ſed in conſtanti voluntate vitandi peccatum, & hanc voluntatem in omnibus, qui ad hoc Sacramentum accedunt, uti poſtulat Concilium Tridentinum, omnino requirere: contra Genettum velle in ipſa vitatione peccati ſitum eſſe propoſitum, ſic ut ei, qui rurſus peccet, firmum, & conſtans de fuiſſe contendat: Concinam, ne manifeſtum eſſet quid uterque ſentiret, decurtatum retuliſſe Francolini teſtimonium. Haec eſt, opinor, eorum ſumma, quibus cauſam agis Francolini, qui praeter has ipſas verborum circuitiones, & nominum interpretationes, nihil habet, quo ſuae opinionis contegere poſſit foeditatem. Ego vero de Concina nihil dicam: nam cum erit a me de omni controverſia tibi reſponſum, conſtiteritque multo deteriorem, quam ex Chriſtiana Theologia colligi poſſit, eſſe Francolini doctrinam: facile intelliges, nullam tibi fuiſse de eo expoſtulandi cauſsam.

Ita-

Itaque veniat in medium Francolinus. Hunc firmum, & conſtans dicis requirere propoſitum ,, conſtantia ſumpta
,, pro deliberatione firma, abſoluta, &
,, efficaci vitandi in poſterum omne pec-
,, catum, incomponibili, ut ajunt Theo-
,, logi, cum omni voluntate peccandi ,,
quod ego neque nego neque reprehendo. Quid enim aliud diceret catholicus Scriptor, niſi propoſitum, quale requiritur ad exomologeſim rite faciendam, eſse firmam & conſtantem deliberationem vitandi peccatum, neque aliud afferre oportere eum, qui velit cum Chriſto in gratiam redire? Nam qui aliter ſentiret aut ſcriberet, non ille quidem malus Caſuiſta, ſed haereticus, aut homo inſanus exiſtimari deberet. Quid igitur, inquies, in controverſia poſitum eſt? Id omnino, quod tu diſſimulas, imperitiſque lectoribus occultare laboras: recte ne ejuſmodi propoſitum afferre putentur ii, qui ſunt adſtricti peccandi conſuetudine; & quamquam ſemel & iterum admoniti fuerint, operam tamen non dederunt, ut vitam emendarent. Hoc opus, hic labor eſt, Noceti; hic errat Francolinus. Errat, inquam, non quia cujuſquam, qui ad exo-

exomologeſim faciendam accedat, neque firmum neque conſtans patiatur eſse propoſitum; ſed quia etiam eorum firmum & conſtans eſse putat, quorum tale non eſt, aut nemo prudens eſse arbitratur. Nam contra optimorum quorumque Theologorum ſententiam, contraque omnium veterum ſapientiam tam excellens bonum communicat cum iis, qui peccandi conſuetudine implicantur; quos, ſi tantum dixerint ſe dolere, & *firmiter proponere*, quanti autem eſt hoc dicere? firmum habere propoſitum & ſtatim abſolvi poſse contendit. Quid autem prodeſt belle definire, & millies repetere *firmum abſolutum efficax* eſse debere propoſitum, ſi tale ne ab iis quidem abeſse contenditur, qui cum peccandi conſuetudine ſunt adſtricti, tum nulla re fidem faciunt deliberatum ſibi eſse vitare peccatum? Itaque intelligis, opinor, quem eſse dicam errorem Francolini. Non negat firmum & conſtans eſse debere propoſitum; ſed etiam eorum, qnorum non eſt, firmum & conſtans eſse propugnat.

Hujus autem erroris quale ſit fundamentum, quod ipſum cognoſci ad hanc

noſtram controverſiam maxime pertinere exiſtimo, volo te ex ipſo Francolino intelligere. Is enim videns nihil magis adverſarios improbare, quam quod fides habenda eſſe dicatur his hominibus, qui cum antea nihil egerint, neque collegerint ſeſe, quo minus peccarent, tum primum cum veniunt ad Sacerdotem poenitere ſe dicunt morum ſuorum: colligit ipſe ſeſe, & evincere conatur, fidem iis haberi oportere, ſed ita, ut magis augeat, quam minuere velit, difficultatem: ait enim num. 9.

„ Dum autem dicunt veſtri docto-
„ res eum non mereri fidem, qui habens
„ pravum habitum, aut iterum lapſus
„ dicit, ſe non amplius peccaturum, non
„ reſiſto ſed propoſitum non conſiſtit in
„ hoc, quod poenitens non ſit amplius
„ peccaturus, ſed in eo, quod nunc ha-
„ beat animum, & ſeriam voluntatem
„ non peccandi amplius. Quamvis ergo
„ forte non mereatur fidem in eo, quod
„ dicit, ſe non peccaturum amplius,
„ nam pravus habitus facile eum ad ali-
„ quem lapſum pertrahet, meretur fi-
„ dem in eo, quod dicit, ſe habere
„ veram, & abſolutam voluntatem non
„ peccandi amplius: cum enim ſciat, hanc

„ re-

„ requiri, ut reconcilietur cum Deo, & „ veniat ad hunc finem, ut venire credendus eſt, nemo enim ſupponitur malus niſi probetur, niſi videlicet adſint „ ſigna actualis malitiae, jam credi debet, „ quod hanc voluntatem habeat, dum „ ſerio dicit, ſe eam habere „.

Quid ineptius hac oratione excogitari poteſt? Mitto dicere id, quod omnibus perſpicuum eſt, eo valere ut non ſemel & iterum, ſed toties abſolvatur poenitens, quoties dicit ſe dolere, & vitare velle peccatum, quod nunquam vitet; atque adeo, ut nullus abſolvendi, nullus unquam fiat, ſi ita libitum fuerit, peccandi finis: hoc, inquam, mitto dicere, nam paullo poſt opportunius explicabitur. Illud quaero ecquid afferat iſta ratio Francolini, quamobrem credere oporteat, legitimum afferre propoſitum eos, de quibus eſt ſermo? Nimirum, propoſitum ſitum eſſe in voluntate vitandi peccatum; & ipſos ſcire neceſſariam eſſe hanc voluntatem ſiquidem velint cum Chriſto in gratiam redire. Quae duo non ſolum non efficiunt id, quod vult Francolinus, ſed etiam contrarium demonſtrant. Nam cum multo antea ſcirent ipſi per ſe, & praeterea

edocti eſſent a Sacerdote (de his enim loquimur, qui ſemel & iterum admoniti ſunt) neceſſariam eſſe iſtam voluntatem vitandi peccatum, neque tamen vitarint, & a ſuis vitiis potuerint avocari; nulla ratione credi poteſt, repentinam illam voluntatem, quam Sacerdoti habere ſe dicunt vitandi peccatum, firmam eſſe, ſinceram atque abſolutam, non ſimilem ejus, quam antea attulerunt, fluxam & inconſtantem.

Neque tamen eos, (ut hunc ſcrupulum eximam Francolino), ſi vere dolere morumque ſuorum taedere non credo, idcirco malos exiſtimo, aut mentiri judico; nam potius cogito id iis accidere, quod ſcribit Anſelmus lib. de ſimil. cap. 189. accidere ſolere: „ contingit aliquando, ut ſua facta conſiderantes, „ fleant, ſeque amodo a talibus ceſſaturos ore promittant, & more avis irretitae liberos ſe volare autument. Sed „ quia pravo uſu irretiti ab hoſte tenentur, nolentes in eadem vitia dejiciuntur; fitque hoc ſaepius: nec omnino deliberantur niſi magno conatu, & gratia „ funis rumpatur pravae conſuetudinis „. Obruere te poſſem ejuſmodi teſti-

teſtimoniis, quibus cum Anſelmus, tum alii Patres luculenter exponunt ingentes difficultates, quae ob pravam peccandi conſuetudinem in his hominibus reſident ad reſipiſcendum, quibuſque efficitur, inanem eſſe totam rationem Francolini qui ex eo ſolum, quod homines adſtricti peccandi conſuetudine ſciant neceſſariam eſſe voluntatem vitandi peccatum, concludere ſe poſſe putat, neque inanem, neque ſimulatam eſſe eorum *poenitentiam*, vereturque, ſi ſecus cogitet, ne iis injuriam facere videatur. Sed cum multa ejuſmodi teſtimonia deſcripſerit Genettus (quae tamen omnia diſſimulavit Francolinus, & quaſi ſumpta eſſent a viris nullius auctoritatis, aut apta non eſsent ad id, quod Genettus docet, conficiendum, ita contempſit, ut a docto Theologo eleganter contemneretur Leandri a Murcia, aut ipſius Francolini auctoritas;) ad ipſum Genettum te delego, ſi plura, legere cupis; nam mihi ſatis eſt hoc uno Anſelmi teſtimonio rationis Francolini imbecillitatem oſtendiſſe. Quod ſi Francolinus cum in eo eſt, ut explicet id, quo maxime nititur; tum maxime labitur, ratiocinaturque de eo, qui peccan-

di conſuetudine implicetur, contra quam Patres ratiocinatos eſſe conſtat, quid de ceteris ejus rationibus, totaque diſputatione exiſtimandum putas?

LXXXIV. At nititur, inquies, magna auctoritate etiam Francolinus, neque poteſt ejus ſententia deſpici, quin deſpiciatur una ſanctus Thomas, quem magni faciunt Caſuiſtae. O utinam nihili facerent; nam minus ſaepe committerent, ut fautor haberetur perverſarum opinionum, hujus praeſertim, quae deterrima eſt, & ad perniciem Chriſtianorum comparata. Sed ut tragici Poetae, cum explicare argumenti exitum non poſſunt, confugiunt ad Deum, ita Caſuiſtae, cum id quod volunt, ratione conficere non valent, unum aliquem nominant magnum doctorem, a quo defenſam fuiſse dictitent ſuam opinionem. Quod infortunium plerumque tulit divus Thomas non ſolum in hac, ſed in aliis pleriſque ſententiis, quae cum in magnis erratis verſantur, tum eidem per ſummam injuriam falſo tribuuntur. Recita ſententiam Thomae, qua utitur Francolinus: quodlibet 1. art. 12. ait; „ quod in foro judiciali creditur „ homini contra ſe, ſed non pro ſe: in „ fo-

„ foro autem poenitentiae creditur ho-
„ mini pro ſe,& contra ſe„. Quod ipſum docet opuſculo 6. & in 4. diſt. 7. quaeſt. 3. quaeſtiunc. 3.

An res confecta eſt? Quae poteſt ex his verbis ſententia cognoſci? Unde conſtat Thomam loqui de dolore & de propoſito? Nimirum hi ſunt, qui omnibus horis dicta ſua ſuorumque Caſuiſtarum mutila & decurtata deſcribi queruntur, cum tamen ipſis liceat leviſſimam quamque ſententiam divo Thomae iſto modo tribuere. Quaerit divus Thomas: *Utrum Praesbyter parochialis debeat credere ſuo Parochiano dicenti ſe alteri confeſſum, & dare ei Euchariſtiam, vel non?* Quam quaeſtionem nemo non videt ab ea, qua de agimus eſse longe remotiſſimam. Reſpondet autem Thomas hoc modo:
„ Dicendum quod in foro judiciali credi-
„ tur homini contra ſe, ſed non pro ſe.
„ In foro autem poenitentiae creditur
„ homini pro ſe & contra ſe. Eſt ergo
„ diſtinguendum, quod dupliciter fit im-
„ pedimentum quo aliquis a perceptione
„ Euchariſtiae impediatur. Si enim ſit
„ impedimentum ad forum judiciale
„ pertinens, puta excommunicatio, non

„ tenetur Sacerdos ſuo ſubdito credere,
„ quem excommunicatum novit, niſi ei
„ de abſolutione conſtet. Si autem ſit
„ impedimentum, quod ad forum poe-
„ nitentiae pertineat, ſcilicet peccatum,
„ tenetur ei credere, & injuſte agit ſi
„ deneget Euchariſtiam ei, qui perhibet,
„ ſe confeſsum & abſolutum ab eo, qui
„ abſolvere potuit vel auctoritate Apo-
„ ſtolica, vel auctoritate Epiſcopi „. Non puto opus eſse hujus loci interpretatione. Conſtat enim, non diſseri in eo de Sacerdote, qui ſacramentum Poenitentiae adminiſtret, ſed de eo, qui ſuppeditare debeat ſacramentum Euchariſtiae ei, qui ſe dicat peccata ſua eſse confeſſum: ex quo ſi colligere volumus quid faciendum ſit ei, qui ſacramentum Poenitentiae adminiſtret, planum erit ex verbis Thomae, hunc non de aliis rebus credere debere *poenitenti*, quam de iis, quae ad peccata pertineant, puta, quamdudum non ſit ea confeſsus, quam ſaepe hoc vel illud admiſerit, an pudore impeditus de ullo tacuerit, atque alia hujuſmodi, quae non poteſt Sacerdos aliunde cognoſcere, quam ex confeſſione *poenitentis*. At nihil eſt in tota oratione Thomae, quod pertineat ad dolo-

dolorem, & propoſitum, praeſertim eorum, qui peccare conſueverunt, oſtendatque non oportere Sacerdotem exiſtimare, hanc rem eſse judicii ſui, ſed fidem ei, qui dicit ſe dolere, ac firmiter proponere, continuo adjungere debere. At ſi ita eſset fruſtra Patres & Theologi monuiſsent, cauto opus eſse in his hominibus abſolvendis, fruſtraque de iis prudentiae regulis prolixe diſseruiſsent, quibus Sacerdotem uti convenit ad eorum dolorem & propoſitum cognoſcendum.

LXXXV. Hactenus de ſententia Francolini. Nunc, quod erat alterum in partitione propoſitum, de ea, quam Genetti eſse dicis, diſserendum eſt: idque eo libentius faciam, quod alium Thomae locum, quem tu & Francolinus non recte interpretamini explicare, lectoribuſque demonſtrare debeo, quanta ſit neceſſitas hujus belli gerendi adverſus Caſuiſtas, quorum de re quaque graviſſima ſententiae non ratione atque auctoritate, ſed argutiis, cavillationibuſque confirmantur. Itaque ſcribis pag. 113. „At etiam P. Concina admittit aliud eſse, quod poeni-
„ tens poſt voluntatem conſtantem *rela-*
„ *batur*; aliud eſse, quod, dum confite-

„ tetur, habere non debeat voluntatem
„ conſtantem. Recte quidem. Sentit
„ enim cum D. Thoma, qui 3. p. quaeſt.
„ 84. art. 10. ad 4. apertiſſime docet,
„ relapſum non impedire, quominus pro-
„ poſitum fuerit verum, & efficax: & ſi-
„ mul explicat quaenam ſit *conſtantia* re-
„ quiſita in propoſito, ut habeatur vera
„ poenitentia. Audi ipſum loco citato.
„ *Dicendum, quod poenitere eſt ante-*
„ *acta peccata deflere; & fienda non com-*
„ *mittere ſcilicet ſimul dum flet vel actu,*
„ *vel propoſito. Ille enim eſt irriſor, &*
„ *non poenitens, qui ſimul dum poeni-*
„ *tet, agit quod poeniteat, vel propo-*
„ *nit iterum ſe facturum quod geſſit, vel*
„ *etiam actualiter peccat. Quod autem*
„ *aliquis poſtea peccet, vel actu, vel*
„ *propoſito, non excludit quin prima*
„ *poenitentia vera fuerit; nunquam*
„ *enim veritas prioris actus excluditur*
„ *per actum contrarium ſubſequentem:*
„ *ſicut enim vere currit, qui poſtea ſedet,*
„ *ita vere poenituit, qui poſtea peccet.*
„ Recte, inquam, Pater Concina. Sed
„ illa ejus doctrina favet Francolino,
„ quem impugnat, & contradicit Ge-
„ netto, quem defendit. Genettus enim
„ *ha-*

„ *habere voluntatem conſtantem* , & non
„ *relabi* , non vult eſſe *aliud* , & *aliud* ;
„ ſed unum & idem . Docet enim *voluntate conſtanti* carere illum , qui etſi rarius relabatur , *aliquando* tamen *relabitur* : & voluntatem conſtantem in eo tantum reperiri , qui redit ad Confeſſionem cum *habituali* , & *omnimoda* ceſſatione a peccato per longum tempus „ .

Quando erit ut quae bene conſtituta ſunt , ea turbare deſinas ? Quis moderate ferat, te hujus loci doctrinam contorquere ad id , quod nunc agitamus , de vitioſa peccandi conſuetudine ? Quae conſecutio haec eſt : qui rurſus interdum labitur non indicat verum ſibi defuiſſe propoſitum : ergo ne is quidem, qui labi conſueverit? Itaque neque Thomas quidquam docet , quod ſit conſentaneum Francolini ſententiae ; neque Genettus aliquid ſcripſit , quod Thomae adverſetur . Id conſtat primum ex eo, quod non agit uterque de eadem re;deinde quod utriuſque dicta in aliam partem , ac accipi debent,contorquet Francolinus. Nam Thomas explicat quamobrem poenitentiae ſacramentum iterato ſuſcipi poſ-

poſſit ; quae controverſia nihil habet commune cum ea , quam agitat Genettus de iis , qui vitioſa peccandi conſuetudine ſunt impediti . Ex hac enim nihil Thomam derivare oportebat , ad id, quod volebat, confirmandum . Neque enim ut probaret , ſacramentum Poenitentiae iterato ſuſcipi poſſe , neceſſe erat argumentum ſumere ex frequenti eorum prolapſione , qui peccare conſueſſent ; cum ſatis idoneum ſuppeditarent ii , qui quandoque labuntur;ex quo ſequitur, eos rurſus egere ſacramento Poenitentiae .

Itaque ne per ſomnium quidem attingit Thomas hoc in loco noſtram controverſiam , ne verbis quidem iis , quae abs te deſcripta ſunt , quibuſque reſpondet huic argumento , quod ſibi quarto loco proponit : „ Gregorius dicit in homilia Quadrageſimae poenitentia eſt „ ante acta peccata deflere, & flenda iterum non committere . Et Iſidorus dicit „ in libro de Sum. bono: irriſor eſt non „ poenitens , qui adhuc agit quod poenitet . Si ergo aliquis vere poeniteat , „ non iterum peccabit : ergo non poteſt „ eſſe , quod poenitentia iteretur „ . Ne iis quidem , inquam , abs te deſcriptis

ptis verbis, quibus huic argumento reſpondet noſtram controverſiam attingit. Nam cum ad probandum, ſacramentum poenitentiae iterato ſuſcipi poſſe, nihil attineret, ut dixi, argumentum petere ex vitioſa peccandi conſuetudine, atque adeo haec Patrum teſtimonia accipere de iis, qui frequenter, vitioſeque labuntur, ne reſponſio quidem ſic intelligi debet, ut huic controverſiae accomodata videatur. Atque ut multa praeteream, ex quibus intelligi poteſt, haud parem eorum, qui raro peccant, atque eorum, qui ſunt peccare aſſueti, eſſe oportere conditionem: illud ſane conſtat, Thomam loqui de iis, quorum *prima poenitentia vera fuerit*, ex quo recte ſequitur, quod *nunquam veritas prioris actus excluditur per actum contrarium ſubſequentem*. Quis autem tibi & Francolino concedet, priorem eorum, de quibus eſt ſermo, veram fuiſſe *poenitentiam*? Quem tibi daturum putas, tum iis non defuiſſe dolorem, & propoſitum, ſine quibus vera eſſe non potuit?

Neque cavillari licet, non poſtulari ab his, qui exomologeſim faciunt, ut vitent, ſed ut velint vitare peccatum, in qua voluntate ſita eſt, teſte Thoma, pro-

propoſiti natura: atque adeo nihil obſtare, quominus, cum dicerent ſe dolere, & firmiter proponere, verum dixiſſe, aut nunc dicere putentur: non licet, inquam, iſto modo cavillari; nam, ut omittam nihil eſſe magis ridiculum, quam ex una definitione propoſiti concludere velle, nemini abeſſe propoſitum; quominus fide digni habeantur, obſtant omnia, quae quidem obſtare poſſunt, conſuetudo peccandi, quod ſemel & iterum fidem fefellerint, quod conſiliis non paruerint, quod numerum non minuerint peccatorum. Hi, velis nolis, niſi prius reipſa vitent, putandi non ſunt vitare velle peccatum. Atque hoc ſenſu docuit Genettus, ut tu quidem ſcribis pag. 243. „ Voluntatem con-
„ ſtantem in eo tantum reperiri, qui re-
„ dit ad confeſſionem cum habituali &
„ omnimoda ceſſatione a peccato per
„ longum tempus „. Nihil ille quidem de iſta *habituali & omnimoda ceſſatione a peccato per longum tempus*, quam vos obtruditis. Nam tantum docet, non eſſe facile adjungendam fidem iis, qui in peccandi conſuetudine verſantur, cum dicunt ſe dolere, vitareque velle peccatum; ſed priuſquam abſolvantur conditio-

tionem proponendam, ut aliquo intervallo peccato ſe abſtineant. Quod non ſolum reprehendi non debet; ſed cum Patrum doctrinae ſit maxime conſentaneum, ne reiici quidem ſine errore poteſt, praeſertim ſi ſemel & iterum fidem fefellerint. Ceterum tantum abeſt, ut de iſta *habituali & omnimoda ceſſatione a peccato per longum tempus* quidquam ſtatuerit Genettus, ut contra, ſi ejuſmodi *poenitens* aliquam fecerit peccandi intermiſſionem, dubitet, utrum ſit melius; abſolvere ne illum, an rurſus hortari, ut diligentius agat, pravamque conſuetudinem prorſus abrumpere nitatur. Et quamquam hoc poſtremum ſibi magis placere dicat, veretur tamen, ne quidquam aliis praeſcribere videatur. Hoc eo ſpectat, ut ſententiam Genetti recte intelligas, & male abſte, & Francolino exponi cognoſcas. Qua de re dicam poſtea.

LXXXVI. Expoſita Genetti, & Francolini ſententia reſtat id, quod erat tertium in partitione hujus diſputationis, ut videamus num quid ex alterutra conſequatur dignum reprehenſione. Hanc enim Francolinus dedit operam, ut ſententiam Genetti, quam nulla ratione

ne

ne convellere poſſet, falſis, perverſisque conſecutionibus redderet invidioſam. Septem ait ex doctrina Genetti eſſe conſequentia, ex quibus ſex ferri nullo modo poſſint, Genettumque fugiſſe dolet, quibus incommodis ejus doctrina premeretur: „ Sed has conſequentias, „ inquit, videt optime Daemon, qui „ ſub hac ſpecie rigidae pietatis nos decipit, & latens venenum ſecurius miſcet „. Proh Deum immortalem! Hoc etiam deerat, ut non ingrata Daemoni totius Eccleſiae diſciplina, & ſolum infeſta Francolini, & Leandri a Murcia praedicaretur opinio! Quid dicam de inſcriptione Operis Francolini: *Praeſentis Eccleſiae benignitas in adminiſtrando Sacramento poenitentiae a rigidorum quorumdam Doctorum calumniis vindicata.* Quis tam ferreus eſt, ut cum iſta legit, non magnopere moveatur? Equidem vereor, ne perniciosiſſimum, & ab Eccleſia damnatum, ut paullo poſt intelliges, Caſuiſtarum quorumdam errorem, & aliquorum ſacerdotum, qui ſe,& eos, qui ad ſe veniunt, perditum eunt, deteſtabilem negligentiam, praeſentis Eccleſiae benignitatem appellet; atque adeo calumniis age-

agere dictitet eos, qui Patrum, conciliorumque auctoritate pugnant, novumque errorem convellere conantur.

Scio, te reſponſiones *ad rem*, non exclamationes expectare. At ne ego quidem expectaſſem, ut quod eſſet ab Sancheſio nuper inventum, & parva defenderet obſcurorum Caſuiſtarum manus, id quiſquam Eccleſiae tribuere auderet. Quare mirari non debes, ſi, cum, natura nobis tributum ſit, ut rebus incredibilibus, & egregie falſis commoveamur, interdum exclamationibus utamur.

Accipe tamen, quas expectare te dicis *reſponſiones ad rem*. Quum ſeptem, ut dixi, ex Doctrina Genetti conſequi velit Francolinus, ex quibus ſex ferri nullo modo poſſint, ego de altero, & tertio accurate diſputabo; reliqua minime conſequi ex Doctrina Genetti uno loco demonſtrabo. Nam ſic habeto: quae ſequuntur ex Doctrina Genetti, ea vera eſſe, & Francolinum, qui ea non probet, magno in errore verſari; quae vero falſa ſunt, ea ex Doctrina Genetti conſequentia non eſſe. „ Itaque ſequitur ſecundo, „ *inquit Francolinus*, quod ſi is redeat „ ad confeſſorem, ſed nihil emendatus,

„ nec debeat abſolvi, ſi praeſertim me-
„ dia ipſi praeſcripta non adhibuit.
„ Hanc etiam videt, & admittit. Igitur
„ erit is iterum rejiciendus, utcumque
„ dicat ſe nunc vere dolere, & lacrymas
„ fundat. His enim non eſse credendum
„ ſatis docet cap. 5. quaeſt. 21. Audi pul-
„ chram rationem. Nam ſaepe lacry-
„ mae proveniunt, inquit, ab huma-
„ no prorſus affectu, vel ex imaginatio-
„ ne objecto aliquo inſolito commota „.
Fateor, hoc eſse conſequens ex doctrina Genetti, & Francolinum, qui non probat, vehementer errare contendo. Negas tu quidem, errare Francolinum, & pag. 244. „ Placet, inquis, ſubjicere hic le-
„ ctorum oculis quaenam ſint propoſitio-
„ nes ſupradictis illationibus contrariae,
„ ut ipſi de cenſuris Patris Concinae ju-
„ dicium ferant. Prima: poteſt, ab-
„ ſolvi poenitens in ſecunda confeſſione,
„ quamvis nullam emendationem attu-
„ lerit, dummodo tamen affirmet, ſe
„ tunc vere dolere, & lacrymas fun-
„ dat.

Non recuſo, quominus Lectores ſuum judicium interponant: ſed interim audi meum, quod explicabo brevi. „ Poteſt, *in-*
„ *quis*,

„ *quis*, abſolvi poenitens in ſecunda
„ confeſſione, quamvis nullam emenda-
„ tionem attulerit, dummodo tamen af-
„ firmet ſe tunc vere dolere & lacry-
„ mas fundat „ : Ergo, inquam ego nihil haeſitans, *poenitenti habenti conſuetudinem peccandi contra Legem Dei, Naturae, aut Eccleſiae, etſi emendationis ſpes nulla appareat, nec eſt neganda, nec differenda abſolutio, dummodo ore proferat ſe dolere, & proponere emendationem.* Quam propoſitionem anno 1679. Innocentius XI. diris devovit. Age Nocceti, cupio videre, quemadmodum te expedias. Negabis, opinor, recte eſse conclusum, & inferius cum ſuperiore connecti. At ego eos appello, qui probe norunt, quid quamque rem conſequatur; nam ſi aliqua duo excogitare poſſint magis inter ſe connexa, quam cum tua & Francolini propoſitione connectitur damnata propoſitio, dicendo vincere non poſtulo. Et ſane manifeſta eſt cauſsa connexionis. Nam utramque eo ſpectare, ut abſolvatur is, in quo *emendationis ſpes nulla apparet*, (quod unum in damnata Theſi reperies, quamobrem falſam eſse intelligas; nam quod poenitens *ore*

proferat, ſe dolere , & proponere emendationem nihil habet ipſum per ſe , quamobrem reprehendatur) adeo perſpicuum eſt, ut ne tu quidem negare poſſis. Quam enim ſpem emendationis oſtendit is, qui, ut vos dicitis , *nullam emendationem attulerit* , neque conſiliis omnino paruerit ?

Quod tu dicis : *& lacrymas fundat* , aut nihil , aut levius eſt eo , quod dicunt Auctores damnatae Theſis : *proponere emendationem* : nam lacrymae multis de cauſſis ſe ſe profundere poſsunt , & saepius oriuntur *ab humano prorſus affectu , vel imaginatione objecto aliquo inſolito commmota* . Scio irrideri ab Francolino hanc Genetti rationem ; at mihi nihil occurrit , cur non ſit veriſſima . Sed ſive probetur , ſive minus ratio Genetti ; mihi ſatis eſt , Gregorio , Alberto , Anſelmo , Petro Bleſenſi , graviſſimis auctoribus , quos laudat Genettus , viſum eſse,horum hominum lacrymas ſaepe fallere, neque cauſsam, cur fallant, magnopere deſidero .

Sed ut tibi plane perſuadeas , eamdem eſse tuam , ac damnatam propoſitionem,conſiderare te convenit , quid inter

eas

eas intereſse putarit Francolinus. Nam ſi intelliges, ne illum quidem, cum maxime vellet, potuiſse ullum verum diſcrimen invenire, ſed rem commenticiam, atque incredibilem attuliſse, quamobrem eas differentes eſse demonſtraret; nihil erit cauſsae, cur illum, teque, ſi illum defendis, in damnato errore neges eſſe verſatum. Itaque adverte animum: nam primum Francolinus num. VIII. hoc modo ſenſum exponit damnataeTheſis: „ Hinc optime Innocentius XI. da„ mnavit eam propoſitionem, qua dice„ batur, non eſse differendam abſolutio„ nem, modo poenitens, qui habet con„ ſuetudinem peccandi, ore proferat ſe „ dolere, & proponere emendationem, „ etſi emendationis ſpes nulla appareat. „ Debet enim ita dicere, ut ſibi non „ contradicat modo explicato „.

Accipe nunc quinam ille ſit *modus explicatus*; hoc eſt, quem poenitentem ſibi contradicere ſtatuat: initio ejuſdem num.: „ Qui dicit ſe dolere, & proponere, & „ ſimul ex. gr. non vult deſerere occaſio„ nem proximam voluntariam, aut alia „ facere, quae debet, jam ſibi contradicit, „ adeoque non dicit ſerio, ſeu cogno-

 „ ſcens

„ ſcens id quod dicit, quod non ſolet
„ evenire.

Intellextin? Docuiſſe dicit damnatae Theſis auctores, abſolvi *poenitentem* poſſe, qui ſibi contradiceret, hoc eſt affirmaret, ſe dolere, & firmiter proponere, ſed tamen ſtupro ſe abſtinere, furtum reddere, proximam, quam vocant, peccandi occaſionem vitare recuſaret. Mitto dicere, hoc totum commenticium eſſe, & a Francolino erroris ſui tegendi cauſſa excogitatum. Quid enim affert, quamobrem ita, ut dicit, damnatae Theſis Auctores ſenſiſſe credamus? Illud dico, ne veriſimile quidem eſſe, quod interpretatur. Nam *ſi non ſolet evenire*, ut ipſe fatetur, ut quiſquam iſto modo ſibi contradicat, qui potuit tandem evenire, ut eſſent Theologi, qui eum abſolvendum putarent, qui ſibi iſto modo contradiceret? Ubi nam gentium vixere, ſi uſpiam vixere, tam inepti, tam improbi, tam perditi Caſuiſtae? Turcae ne erant, ſinenſes, aut Malabari? Nam Chriſtianos, multo minus Catholicos fuiſse quis credat? Debuerat Francolinus aliquem *Curſum*, *Compendium*, *Medullam*, *aut Trutinam* nobis oſtendere, ex qua ſumſiſset Innocentius XI. iſtam

pro-

propoſitionem, ne tanto Pontifici, atque adeo Eccleſiae illudere videretur, quaſi quod ab nemine unquam ſcriptum, defenſumque fuiſset, id Romae primum excogitatum, deinde tamquam pernicioſum populo Chriſtiano eſset condemnatum: hoc enim eſt conſequens ex eo, quod interpretatur Francolinus.

Itaque expecto, Nocceti, ut ſenſum aliquem damnatae Theſis falſum quidem, & ſi vis, etiam ineptum, & ridiculum, at non ejuſmodi, ut in hominem catholicum cadere non poſſit, excogites, ex quo intelligi poſſit, quid inter eam, & Francolini propoſitionem interſit. At vereor ne fruſtra expectem, & ſi quid contradicere voles, induas te rurſum in eoſdem laqueos, in quos te tunc induiſti, cum oſtendere conatus es, a damnata diſcrepare ſimilem Sancheſii doctrinam. Noſti hanc me dicere: „ ſecundo dico, „ quando nil curae appoſuit ad emen„ dam, admonituſque eſt ſaepe in aliis „ confeſſionibus, poſse adhuc hunc in „ rigore abſolvi ſtatim, ſi vere doleat de „ praeteritis, ac in poſterum emendam „ firmiter proponat „.

Meminiſtin, cum Epiſtola I. num.

23. hanc Sancheſii propoſitionem nihil ab damnata diſſidere docuiſsem, quibus ſubtilitatibus, quantaque verborum circuitione in *confutatione* illius Epiſtolae §. 4. egeris cauſsam Sancheſii, ejuſque doctrinam ab damnata diſſidere contenderis? Nunc, cum unius erroris tuendi cauſſa, in alios graviores incidiſse te videam, pauca quaedam ex ea *confutatione* opportune proferam, non quo ea refellam, ſed quo palam faciam, quam foedum ex omni tua, Sancheſii, & Francolini doctrina monſtrum conficiatur.

Et primum, cum Francolinus abſolvi velit poenitentem, de quo eſt ſermo, ſi, licet mores non emendarit, nec conſiliis paruerit, redeat ad Sacerdotem, ſeque dolere, & firmiter proponere &c. dicat; quaero ex te quid, ſi tertio, & quarto eodem modo rediret, faciendum putares? Negabis, opinor, abſolvi debere; nam ſcribis pag. 242. „ non poſse Sacerdotem, per ſe loquendo, firmum propoſitum praeſumere in poenitente, qui tertia, vel quarta vice redeat ſine ulla, vel fere ulla emendatione „. Bene eſt: ſed ſi ita ſentis, ut dicis, & te ſentire decet, quomodo probas propoſitionem

nem Sancheſii, contendiſque abſolvi poſſe eum, qui ſaepe, hoc eſt ſaltem decimum, vel undecimum, fruſtraque admonitus eſt *in aliis confeſſionibus*? Aut fucum facis cum diſseris pro Francolino, aut vehementer erras, cum Sancheſium defendis; aut ſaltem ex eo, quod uno loco ſcribis, non ſatis perſpicis, quid te alio loco dicere conveniat.

Sed veniamus ad id, quod ſcribis pro Sancheſio. Videbis enim, eſse ex tua doctrina perinde, ac ex ratione Francolini conſequens, eum, de quo eſt ſermo, non iterum, non ſaepe, ſed toties abſolvi poſse, quoties dicit ſe dolere, & firmiter proponere, etiamſi nullum unquam faciat peccandi finem. Scripſi Epiſtola 1. pag. *69.* eum, de quo loquitur Sancheſius, nullam praebere ſpem emendationis, propterea quod hanc ſpem magis ex factis, quam ex verbis ſumi conveniat, proindeque nihil inter damnatam, & ejus doctrinam intereſse. Quid tu ad haec? „ Sed hoc mihi, inquis pag. 25. „ *Confut.* videtur leve „. Quid ita? An poteſt quidquam verius, atque adeo gravius dici, quam quod Sacerdos facta magis, quam verba attendere debeat? Deinde, ſi leve

leve eſt, cur tu ipſe aliquando concedis, eſse graviſſimum? Nam cum neges, ut ſupra dixi, eſse adjungendam fidem ei, qui jam tertio, & quarto diceret, ſe dolere, neque tamen mores emendaſset, jam conſtat, te facta magis, quam verba attendi oportere velle; atque adeo grave ducere, quod alibi leve tibi videri pronuncias.

Perge tamen, & audiamus, quare tibi leve videatur id, quod dixi de fide verbis abroganda, cum verbis facta repugnant: etenim, inquis, ille poenitens, „ non obſtante praeterita negligentia, „ non obſtante crebro relapſu, habet „ veriſſimam poteſtatem, aliquando re- „ ſipiſcendi, proponendi firmiter, ac „ proinde praebendi ſpem aliquam emen- „ dationis. Cum igitur, ut ponit San- „ chez, & in hac ſolum poſitione loqui- „ tur, ille poenitens hic & nunc vere „ doleat, & firmiter proponat; atque „ haec, ut item in praeſentia ponimus „ (multa tu quidem ponis, ſed cauſsas, cur ponas; nullas ponis) Confeſsario „ ſatis innoteſcant; profecto ille poeni- „ tens ſpem aliquam oſtendit. Dixi ali- „ quam, quamvis non omnem, quamvis

„ non

„ non ſummam, ſed Pater Dinellius no-
„ vit, aliquam ſatis eſſe, ut doctrina San-
„ cheſii contradicat propoſitioni damna-
„ tae quae dicit *nulla*.

Heu Noceti; quo te neceſſitas tuendarum falſarum, abſurdarumque opinionum induxit! Ut breve faciam; equidem novi, aliquam ſpem emendationis ſatis eſse, ut a ſententia damnata recedatur; ſi tamen ſumatur haec ſpes a vitatione peccati, a ſtudio parendi conſiliis, & aliis ejuſmodi rebus, quae cum dolore, & reſipiſcentia conjungi ſolent, non a ſola poteſtate reſipiſcendi, quae jungi poteſt, & ſaepe numero jungitur cum voluntate peccandi. Certum eſt autem illam priorem, non hanc poſteriorem negaſse Auctores damnatae Theſis cum dicerent: *etſi emendationis ſpes nulla appareat*, ideo quod haeretici non eſsent, neque ei, de quo loquerentur, deeſse putarent iſtam poteſtatem reſipiſcendi. Quare cum nihilo ſecius eorum opinio damnata fuerit, multo magis illud intelligi convenit damnatum fuiſse, quod abs te hoc loco confidenter ſtatuitur, ſacerdotem, quo rite abſolvat, ſpectare ad eam ſpem poſse, quae capitur a poteſta-

te

te reſipiſcendi. Sed vix dici poteſt, quam ſit abſurda, mi Noceti, iſta tua reſponſio, quamque aliena ab optima ratione adminiſtrandi Sacramentum, ex quo pendet ſalus omnium Chriſtianorum.

Mitto dicere, quod omnibus perſpicuum eſt, quam ſit ridiculum, ex poteſtate faciendi factum aliquid, vel infectum concludere, & quod cum reſipiſcentia, & non reſipiſcentia conjungi poteſt, hocipſo abuti pro gravi reſipiſcentiae argumento. Illud miror non vidiſse te, quam multa ex ea conſequantur verae pietati, doctrinaeque contraria, praeſertim, quod, cum nemini deeſse conſtet iſtam poteſtatem reſipiſcendi, atque adeo id, quod ſatis eſt, ut tu quidem exiſtimas, ad capiendam ſpem emendationis, & abſolutionem rite impertiendam, nullus unquam fieri poſset perditum quemque abſolvendi finis. Dices fortaſse videndum eſse, ecquando nam quiſque utatur iſta poteſtate reſipiſcendi. Huc te expectabam. Unde igitur intelliges, ecquando quiſque utatur ipſa poteſtate? Non quidem cum dicit, ſe dolere & firmiter proponere &c. ſi verbis facta repugnent, ut dictum eſt centies: igitur ex factis ipſis,

ſis, quae raro fallunt, hoc eſt, ex ſtudio parendi conſiliis, atque intermiſſione peccandi. Quid igitur attinet, ad poteſtatem reſipiſcendi confugere, ex qua nihil elicere poſſis aptum ad id, quod vis, expediendum? Intactum enim relinquitur totius controverſiae caput, neque recte aſſumis: „ Quum igitur, ut ponit Sanchez,
„ & in hac ſolum poſitione loquitur, ille
„ poenitens hic & nunc vere doleat, &
„ vere poeniteat &c.;„Non recte, inquam, aſſumis, ſed pro certo aut conceſso ſumis id, quod in diſquiſitione poſitum eſt. Nam quaero ex te, unde habeat Sancheſius, eum, de quo loquitur, vere dolere, vereque poenitere; hoc eſt enim de quo diſputatur. Si dicis, ex verbis ejus, quum ſe dolere, vereque poenitere profiteatur, id quidem convenit cum damnata propoſitione, quod quia epiſtola 1. loc. cit. luculenter oſtendi, contraque nihil affers quamobrem falſum eſse demonſtres, opus non eſt, ut pluribus denuo exponam. Sin ais ex eo, quod is, qui ſe dolere dicit, habeat poteſtatem reſipiſcendi; rurſus quaero, unde compertum habeat Sancheſius, eum nunc uti, qua ſaepe antea uſus non eſt, iſta poteſtate? Reſtat, igitur ut velis
id,

id,quod ex tua oratione aperte colligitur, hanc poteſtatem ſatis eſse,ut is,qui ea potitur,nemo autem non potitur,ſimul atque ad ſacerdotem venit, & quae male geſsorit, confitetur, continuo reſipiſcere putetur,etiamſi ea, de qua loquimur,adſtrictus peccandi conſuetudine, non dico decimum vel undecimum, ſed centies & millies fidem fefellerit. Hae tuae ſunt propriae ruinae, qui ut Sancheſii defendas errorem, aut nihil dicis, aut, ſi quid dicis, id forte quidem perverſius eſt eo, quod ab Sancheſio removere laboras. Ex quo perſpicere potes hujus ſententiae falſitatem. Nam, cum dixerit Auguſtinus in libris de civitate Dei, nihil eſse tam aperte falſum, quin dicentis ingenio & eloquentia verum,aut ſimile veri apparere poſſit, contra haec veſtra ſententia, eo deterior apparet, quo plura cumulatis ad eam confirmandam.

LXXXVII. Sed redeamus ad Francolinum, & videamus quale ſit id, quod tertio loco ſequi contendit ex Doctrina Genetti minime rationi conſentaneum: „
„ Sequitur tertio quod ſi is redeat tertia
„ vice ad Confeſsarium fere penitus
„ emendatus, itaut peccarit ſolum ſe-
„ mel,

„ mel, aut bis qualibet hebdomada, ,
„ cum prius idem peccatum committe-
„ ret ſaepius in die (ſunt verba Genetti)
„ nec poſſit abſolvi : non habet diſpoſi-
„ tionem neceſsariam ex Tridentino
„ juxta modernum hunc interpretem ;
„ nempe propoſitum conſtans, & ceſsa-
„ tionem a peccato: hanc etiam conſe-
„ quentiam videt, & admittit pag. 112.
Primum iſtud eſſe conſequens ex doctrina Genetti, non puto conceſſuros eos, qui cum eam probent, & ab contraria Francolini quam maxime abhorreant, tamen, cum eo ventum eſt, ut loquantur de eo, qui, ut hic exponit Francolinus, nonnullam fecit peccandi intermiſſionem, partim quidem pendent animis, partim, Billuartius Tom. 5. diſsert. *6*. art. 10. §. *6*. hunc poenitentem abſolvi poſſe concedunt. At Genettus, inquies, non concedit, ſed rurſus eum in aliud tempus differendum putat. Fateor, ſed ita, ut nihil omnino conſtituat, affirmateque pronunciet, ſed tantum quid ſibi melius factu videatur exponat. Ex quo intelligi debet quam male, invidioſeque exponatur a vobis hoc loco doctrina Genetti, qui poſtquam multa diſſeruit de lenitate, officioque facer-

cerdotis erga ejuſmodi *poenitentem* „ „ Videtur tamen, inquit loco citato „ cap. 7. quaeſtione 15., quod nondum „ deberet illum abſolvere, cum non de- „ prehendat in poenitente unam ex diſ- „ poſitionibus neceſſariis juxta conci- „ lium Tridentinum, nempe ceſſationem „ a peccato: neque enim dici poteſt „ quod ille ceſſarit a peccando, qui ceci- „ dit in idem peccatum, quamvis rarius, „ quemadmodum nec medicus diceret „ eum febri omnino carere, qui conti- „ nua febri laboraret, quando commuta- „ ta eſt in tertianam, ſeu quartanam, ſed „ tantum eum minus frequenter labora- „ re., „ Quid vos ad haec? Eſt ne horum ſimile quod ſupra ſcribit Francolinus de doctrina Genetti? Sunt ne horum ſimilia quae ſcribuntur abs te cum hoc loco, tum cap. XCIV. ubi rurſus in Genettum inveheris hoc modo: „ Reuera mirum eſ- „ ſet, niſi doctrina Laymani Patri Conci- „ nae laxa eſſet, cui tantum placet do- „ ctrina ſui Genetti, & ſimilium, qui „ volunt neminem habere propoſitum „ conſtans, neminem eſſe diſpoſitum, „ neminem eſse abſolvendum, niſi per- „ longum tempus probatus fuerit, & ab

„ ul-

„ ultima confeſſione per plures hebdo-
„ madas a peccatis omnino ceſſarit „.
Haud recte, bonaque fide, audias me velim placide & ſedate, Genetti doctrinam exponis. Is neque docet, neminem habere *propoſitum conſtans*; neque uſpiam dicit neminem eſſe *diſpoſitum*, aut neminem eſſe abſolvendum; ſed tantum, ſi quis reperiatur implicitus peccandi conſuetudine, huic non prius impertiendam eſſe judicat abſolutionem, quam aliquo intervallo peccato ſe abſtinuerit, praeſertim ſi jam ſemel & iterum fidem fefelliſſet. Idem judicant ejus *ſimiles*, *quos Spiritus Sanctus poſuit regere Eccleſiam* Dei, cum in ſynodis de ratione hujus Sacramenti adminiſtrandi praecipiunt. Nam quemadmodum agendum putet cum eo, qui nonnullam fecerit peccandi conſuetudinem, de quo nunc eſt ſermo, ex verbis ejus, quae ſupra deſcripſi, intelligere potes. Nimirum ita hunc quoque in aliud tempus differendum exiſtimat, ut ei, qui non exiſtimet, non magnopere repugnare videatur: quod cum ſententia Genetti a vobis expoſita diſcrepare nemo negabit.

Sed age: ſit omnino conſequens ex

G do-

doctrina Genetti, quod hic proponit Francolinus. Quid igitur? Ego nihil haeſiſtans affirmo, & recte ſapere Genettum, qui illam *conſequentiam* admittit, & Francolinum errare, qui non admittit. Nam quod confidenter exclamat: *quis unquam audivit tam abſurdas doctrinas, tam ſeveras?* vix quemquam futurum puto, qui vehementer non admiretur, modo animadvertat, id, quod ſeverum, & abſurdum Francolinus appellat, non magis ſequi ex ſententia Genetti, quam ex doctrina Concilii Tridentini, quae negat, redire quemquam poſse cum Chriſto in gratiam, niſi faciat peccandi finem; aut ex doctrina Cyrilli, qui lib. 4. in Joannem cap. 6. „ oportet, inquit, omnibus viribus a peccato „ mundari, & recte vivendi jactis funda„ mentis, magna fiducia ad ſumendam „ vitam concurrere „. Aut haec abſurda, & nimium ſevera appellabis, aut qui tertio, aut quarto quoque die furtum faceret, ſtuprum inferret, blasphemiis Deum laceſseret, is tibi videbitur *fere penitus emendatus*, feciſse peccandi finem, & recte vivendi jeciſse fundamenta. Sed quum alterum temerarium ſit; alterum crimini eorum, *qui dicunt impio juſtus es*, val-

valde finitimum; unum reſtat, ut erraſse Francolinum, & verum vidiſse Genettum concludatur.

Quoniam vero Concilium Tridentinum poſtulat, atque adeo inculcat *ceſſationem a peccato*, idque Genettus in eum cadere negat, qui etſi aliquam fecerit peccandi intermiſſionem, peccavit tamen tertio, aut quarto quoque die, cupio videre quid ſit, quod Francolinus non probet id, quod Genettus interpretatur. Dicet, opinor, neque enim aliud dicere ſolet, propoſitum ſitum eſse in voluntate vitandi peccatum, non in vitatione peccati, atque adeo Concilium poſtulare, non ut homo vitet, ſed ut velit vitare peccatum. At ſi nihil aliud adfert, quamobrem Genetti interpretationi repugnet, ipſe eſt, non Genettus, Concilii Tridentini ridiculus interpres. Nam convenit quidem, propoſitum ſitum eſse in voluntate vitandi peccatum, ſi tamen intelligatur de voluntate, quae peccatum vitat, nam quae nunquam vitat, aut minus ſaepe peccat, quam antea peccare ſoleret, haec ne voluntas quidem dici poteſt vitandi peccatum. Et vero ſi licet Francolino in una vocula *propoſitum* perpetuo

delitefcere,eaque ſignificari dicere voluntatem vitandi peccatum : cur non liceat Genetto *ceſſationem a peccato*, qua utitur Concilium, oſtentare, eaque ſignificari dicere eandem voluntatem conjunctam cum vitatione peccati? Niſi forte ceſsaſse peccare non minus dicendus eſt is, qui tantum minuit numerum peccatorum, quam qui fecit peccandi finem; quod tamen ex qua loquendi regula elici poſſit ignoro.

Atque eo magis probari decet interpretationem Genetti, quod eam valere doceat, cum agitur *de peccatis gravioribus, quae committuntur cum plena deliberatione, non vero de iis, ad quae quis impellitur ex impetu inconſiderato.* Quid verius? Quid ſanctius? Quid prudentius ſcribi poteſt? Quis Francolino Genettum irridenti, & ut iterum dicam, exclamanti: *ecquis unquam audivit tam abſurdas doctrinas, tam ſeveras*, non vehementer ſuccenſeat? Quis tibi quoque non ſuccenſeat, qui Francolinum probas, & ſcribis pag. 244. „ poteſt „ abſolvi poenitens, ſi redeat tertia vice „ fere penitus emendatus, ita ut peccarit ſemel, vel bis in hebdomada, cum „ prius idem peccatum committere ſo-

„ ret

„ ret ſaepius in die „. Ecce, ut Francolinum defendas, fere penitus emendatum, atque adeo dignum, qui abſolvatur, vocas eum, qui tertio aut quarto quoque die peccaſset, hoc eſt furtum fecíſset perjurium dixiſset, aut ſtuprum intuliſset. Quid ſi ſemel, & iterum ſingulis menſibus eadem fecíſset? Num Sanctorum faſtis adſcribendum putares? His addere oportet id, quod reí caput eſt, Genettum ex doctrina Auguſtini, Anſelmi, & Laurentii Juſtiniani Concilium interpretrari; Francolinum ex ſua, & Leandri a Murcia Genettum refellere, perque jocum Concilii Tridentini modernum interpretrem appellare. Quod ſane riſu potius, quam oratione rejiciendum eſt. Nam ſi modernum Genettum repudiat, cur veteres illos non ſequitur, ex quorum vetuſtiſſima doctrina Genettus ſe ſapere profitetur? Quid refert heſternum eſſe ſcriptorem, ſi id, quod affert, vetus eſt, & ex puriſſimis fontibus hauſtum? Denique quis ferat, ſcriptorem per jocum modernum dici ab eo, qui cum ſit ipſe recentior, tum nihil afferat, niſi nova quaedam, atque inhaudita, quibus vetera & bene conſtituta convellat? Concludamus igi-

tur, id, quod Genettus in Concilio Tridentino interpretratur, quodque conſtituit de eo, qui aliquam fecit peccandi intermiſſionem, dignius eſse approbatione, quam quod de his ipſis rebus cavillatur Francolinus.

LXXXVIII. Cetera, quae Francolinus fluere dicit ex doctrina Genetti, ea falſa ſunt, ſed nego ex doctrina Genetti eſse conſequentia. Quod ipſum neminem negaturum puto, modo quid quamque rem conſequatur, & hujus controverſiae vim non ignoret. Illud exempli loco ponamus, quod ſuperiori proximum eſt: ,, ſequitur quarto, *inquit Francolinus*, ,, quod ſi vel ſemel tantum intra ſpatium ,, plurium menſium ſuae probationis lapſus ſit, & quarto redeat ad confeſſionem, ſit ſimiliter ſine venia dimittendus. Conſequentia eſt manifeſta ,,. Cuinam, aut quare tandem manifeſta eſt? Quis mediocri prudentia praeditus non videt, cum agitur de conſuetudine peccandi, eum, qui longo temporis intervallo ſemel tantum deliquerit, non eſse conferendum cum eo, qui nullam, aut cum eo, qui nonnullam fecerit peccandi intermiſſionem? At ne is quidem, qui ſemel

pec-

peccavit, inquit Francolinus, fecit peccandi finem; atque adeo dici non poteſt firmum, & conſtans; quale ex Doctrina Concilii Tridentini Genettus requirit, habuiſse propoſitum. Ridiculum. Nam neminem fugit, ita requiri peccandi finem, itaque dici firmum, & conſtans eſse debere propoſitum, ut id totum in hominem infirmum, & imbecillum convenire intelligatur. Ex quo ſequitur, non eum, qui nullam, aut eum, qui nonnullam fecerit peccandi intermiſſionem; ſed eum, qui collegerit ſe ſe, vitioſamque conſuetudinem ita compreſserit, ut ſi interdum peccarit, id facile conſtet non malitiae, inconſtantiaeque propoſiti, ſed imbecillitati naturae eſse tribuendum, dignum videri, cui indulgeatur quique peccandi finem fecisse dicatur. Mittamus igitur reliquas, non conſecutiones, ſed aberrationes Francolini, quas facile contemnet is, qui, miſſis Sancheſiis, Gobatiis, Francolinis, ſcripta leget clarorum virorum, qui rationem hujus Sacramenti adminiſtrandi accurate explicuerunt, & magna conſenſione homines peccare ſuetos uſque eo in aliud tempus differendos ſtatuerunt, donec facta intermiſſione peccandi, fidem

 ſa-

ſacerdoti faciant, certum, ſtatutumque ſibi eſse mores emendare.

Quum res ita ſe habeant, & hac Francolini ſententia vix ullam eſſe conſtet in omni morum diſciplina deteriorem, ejus tamen defenſionem ita concludis: „ Quaero ego nunc ab aequiſſimis „ lectoribus: ex iis tantum, quae retulit P. Concina, imbiberant ne animo eam opinionem, atque ideam doctrinae Francolini, & La Croix, quam „ ex adductis hactenus imbiberunt? Si „ affirment: nihil habeo dicere. Sin „ minus. Rogo illos iterum, atque obteſtor, ut, cum legerint intrepidas „ cenſuras, & declamationes Patris Concinae, ſuſtineant aliquantiſper ſententiam, donec eas opiniones vel apud „ Auctores exagitatos, vel apud aliquem „ alium legant: & tunc judicium, quod „ libuerit, ferant. Non mihi videor rogare improba „.

Ne mihi quidem. Quin immo, idem ego lectores rogo, ut exagitatos ab Concina Caſuiſtas omnino legant ipſi per ſe, praeſertim hunc ipſum, de quo nunc agimus, Francolinum. Neque enim mentiris cum dicis ex omni Concinae confuta-

tio-

tione ſatis intelligi non poſſe, quae ſit Francolini ſententia. Non intelligitur, eum in controverſia omnium graviſſima perpetuo cavillari; ab omnique ratione imparatiſſimum id agere, ut ſexcentis nugis & argutiis deterrimam confirmet opinionem. Non intelligitur D. Thomae teſtimoniis abuti; Patrum, quos laudat Genettus, parvipendere auctoritatem; male Concilii Tridentini explicare doctrinam; denique bene conſtitutam, & populo Chriſtiano ſalutarem perturbare diſciplinam, & pro ea damnatam ab Innocentio XI. implicare, atque ita probare ſententiam. Haec & alia quamplura Francolini errata non ex hoc Concinae loco, ſed ex Francolini operibus intelligent lectores, deſiderabuntque prudentiam tuam, qui ſaepe Concinam ob eam cauſſam malae fidei inſimulas, quod non totam opinionum Caſuiſtarum foeditatem, perverſitatemque demonſtravit. Haec, inquam, facile lectores intelligent, ſi tamen, quid ſibi velint verba illa, quae iſti Caſuiſtae ſaepiſſime, magnificentiſſimeque praedicant: *vere dolere, firmiter proponere*, & cetera hujuſmodi ex ipſorum Caſuiſtarum ſcriptis probe cognorint.

LXXXIX.

LXXXIX. Extremum eſt,ut videamus, quare non putes,recte uſum eſſe Genettum Apoſtoli Pauli teſtimonio: *quae ſecundum Deum triſtitia eſt,poenitentiam in ſalutem ſtabilem operatur*. Scribis enim pag.245. „ Vel Apoſtolus ibi non loquitur de acti- „ bus neceſſariis ad abſolutionem in ſa- „ cramento Poenitentiae ; ſed de poeni- „ tentia integraliter, & extenſive per- „ fecta. Vel ſi loquitur de illis, nomine „ ſtabilitatis intelligit propoſitum fir- „ mum, abſolutum, & efficax, incom- „ ponibile cum omni voluntate peccan- „ di, quod, ut diximus, non poteſt per „ ſe loquendo, prudenter praeſumi a „ confeſſario in poenitente, qui ſine ul- „ la emendatione redit ad confeſſiones : „ quod propoſitum omnes exigunt „. Jam quod primo loco dicis,Apoſtolum *de poenitentia integraliter*, & *extenſive perfecta* eſſe locutum, id quidem non eſt ejuſmodi, ut, hoc poſito, alterum, quod vult Genettus, neceſſario tollatur. Nam cum haec perfecta poenitentia initio *referri*, hoc eſt, ut Theologi loqui ſolent, *ordinem habere* debeat ad ſacramentum, nihil impedit, quin, quod de tota perfectaque poenitentia dicitur, id etiam de ini-

initio ejuſdem dictum eſſe intelligatur. Quin immo non poteſt ulla firma, & ſtabilis eſſe poenitentia, quae aliquando firmum, & ſtabile non habuerit initium.

Deinde quo demum auctore dubitas, Paulum de ſacramento Poenitentiae eſſe locutum? An eſt aliquis magnae vir auctoritatis, qui locutus ne ſit Apoſtolus de ſacramento Poenitentiae dubitare ſe, aut dubitandum eſſe ſignificarit? Nam mihi non valde probari ſolet, quae careat gravi auctoritate, divinarum Scripturarum interpretatio. At quo tandem, inquies, auctore Genettus non dubitat? Magno ſane, & gravi, quique ſit illi, atque adeo tibi inſtar omnium Caſuiſtarum. Is eſt Thomas Aquinas, qui lect. 3. nihil veretur, hunc Apoſtoli locum *de actibus neceſſariis ad abſolutionem in ſacramento Poenitentiae*, interpretari. Ait enim „ Sed
„ contra hoc quod dicit, quod triſtitia,
„ quae eſt ſecundum Deum, poeniten-
„ tiam operatur, videtur eſſe, quia ipſa
„ triſtitia ſecundum Deum eſt poeniten-
„ tia. Poenitere enim eſt triſtari de ma-
„ lo, & ſecundum Deum. Non ergo
„ operatur poenitentiam. Reſpondeo,
„ dicendum eſt, quod poenitentia habet

„ tres partes , quarum pars prima eſt
„ triſtitia ſcilicet dolor,& compunctio de
„ peccatis . Aliae duae ſunt confeſſio , &
„ ſatisfactio . Cum ergo dicit , quod
„ triſtitia operatur poenitentiam intelli-
„ gendum eſt , quod compunctio ſeu do-
„ lor de peccato operetur in nobis poe-
„ nitentiam, id eſt alias partes poeni-
„ tentiae , ſcilicet confeſſionem , & ſa-
„ tisfactionem „ .

Neque vero obſtat, ne quid diſſimulem , Thomam conjungere cum *ſalute*, non cum *poenitentia* vocem ſtabilem , atque adeo velle firmam , & *ſtabilem* ſalutem , hoc eſt ſempiternam felicitatem ab Apoſtolo ſignificari ; „ nam triſtitia ,
„ inquit , quae eſt ſecundum Deum poe-
„ nitentiam operatur , poenitentiam au-
„ tem dico in ſalutem ſtabilem , ideſt
„ ſempiternam „ non , inquam , hoc obſtat , quandoquidem in idem recidit, ſive triſtitia *poenitentiam ſtabilem* , ſive poenitentiam *in ſalutem ſtabilem* operari dicatur . Nam quae poenitentia ſalutem ſtabilem , hoc eſt , aeternam felicitatem conſequutura eſt , ea certe quidem firma , & ſtabilis ſit oportet .

Victus ſum , inquies ; ſed ſi loquitur

tur Apoſtolus de his actibus „ nomine
„ ſtabilitatis intelligit propoſitum fir-
„ mum , abſolutum , & efficax , incom-
„ ponibile cum omni voluntate peccan-
„ di &c. quod propoſitum omnes exi-
„ gunt „ . Credo equidem . Nam ſi quis tale non exigat , praeſens eſt poena , ut haereticus habeatur . Pergis, Noceti, dicere, hos Caſuiſtas firmum, & conſtans exigere propoſitum ; neque dum intellexiſti , non id agi , aut quaeri , an firmum , & conſtans velint illi eſſe debere propoſitum : ſed quibus hominibus non deeſſe putent tam excellens bonum ? Atqui oportet , id te recte intelligere , tibique perſuadere, iſtos reprehendi Caſuiſtas, non quia firmum & conſtans non exigunt propoſitum , (quis enim , niſi prius de mente exierit , tale non exigat?) ſed quia firmum & conſtans ne illorum quidem eſſe dubitant, qui in peccandi conſuetudine verſantur . Sic enim verbis ponunt , re autem tollunt legitimum propoſitum . Illud etiam tibi perſuaſum eſſe debet , ita ſentire non unum Genettum , uti vos fingitis , imperitiſque ſuadere conamini, ſed optimos quoſque Theologos , ſanctiſſimoſque Viros , auctoreſque pulcherrima-

rimarum Synodorum Epiſcopos, Eccleſiam ipſam, quae ſemper putavit legitimum his hominibus abeſse propoſitum. Horum autem doctrinam nimis ſeveram, quod facit Francolinus, appellare, eſt hominis, mihi crede, ſe unum verum vidiſse gloriantis, & ſuperiorum temporum caliginem inepte deplorantis.

Multa mihi, neceſſario praetermittenda fuerunt, ne nimium hujus epiſtolae creſceret magnitudo, & nimium longa de uno Francolino eſſet diſputatio: ſed ſi de his rebus rurſus agendum erit, dabo operam, ut nihil eorum, quae ad Francolini ſententiam funditus convellendam, & Genetti doctrinam confirmandam pertinent, praetermiſſum eſſe videatur. Quamquam cum attigerim, & infirma, atque inania eſſe demonſtraverim praecipua doctrinae Francolini fundamenta, eumque tum maxime labi, nihilque ſolidi afferre evicerim, cum maxime nititur confirmare ſententiam ſuam, ſatis eam convelliſſe, & contrariam Genetti confirmaſſe videor; neque puto, quemquam magnopere deſideraturum ea, quae praetermiſſa ſunt, ut intelligat, Genettum, ut initio dixi, vera, divinae

naeque Scripturae, ſanctorumque Patrum doctrinae conſentanea docere; Francolinum autem, Sancheſium, La-Croixium, alios neſcio quid monſtri ſimile propugnare, quod nemini probari poſſit, & conjunctum cum iis, quae abs te pro Sancheſii defenſione ſcripta ſunt, prope deterius eo, quod damnavit Innocentius XI. reperiatur. Vale.

FINIS.

EMANUELE II. ROMA

MAG 2001799

EPI-

Digitized by Google

Digitized by Google